MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80650-1

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

JACOBI, FRIEDRICH

TITLE:

PANTES THEOI;
DISSERTATIO...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1930

Master Negative #

92-80650-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

885
J15 Jacobi, Friedrich, 1885-
ΠΑΝΤΕΣ ΘΕΟΙ; dissertatio inauguralis quam... scripsit Fridericus Jacobi... Halis Saxonum, formis descripserunt Karras, Kroeber et Nietschmann, 1930.
vi, 133 p. 22½ cm.

Thesis, Halle, 1925.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-8-92 INITIALS JA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Columbia University
in the City of New York

LIBRARY

Univ. Exchange JUN 3 1931

ΠΑΝΤΕΣ ΘΕΟΙ

PANTES THEOI

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS JACOBI
RHUMSPRINGENSIS

HALIS SAXONUM
FORMIS DESCRIPSERUNT KARRAS, KROEBER ET NIETSCHMANN
MCMXXX

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulerunt
Otto Kern et Georgius Karo

Examen rigorosum habitum est a. d. V. Kal. Mart. MCMXXV

885
J15

Ottoni Kern

sacrum

Conspectus.

pagina

Pars I. De antiquissimis temporibus . . . . . 1—5
Pars II. De liberarum civitatum temporibus . . . . . 5—17
Pars III. Ab aetate Alexandri Magni usque ad antiquitatem exeuntem . . . . . 17—121
A) Testimonia . . . . . 17—107
I. iuramenta p. 17—25; II. exsecrationes p. 25—30; III. breves invocationes p. 30—31; IV. nomen Pantheae p. 31—34; V. donaria p. 34—48; VI. arae p. 48—55; VII. sacra *πάντων θεῶν* publica p. 55—107.
a) testimonia [ordine locorum disposita] p. 56—95: Asiae insularumque finitimarum (nr 1—16) p. 56—79; Aegypti (nr 17) p. 79—81; insularum (nr 18—21) p. 81—83; Graeciae (nr 22—28) p. 83—88; Italiae (nr 29—30) p. 88—94; Hispaniae (nr 31) p. 94 s.; universi generis (nr 32—33) p. 95.
b) testimoniorum genera p. 95—106.
1. sacerdotia p. 95 s.
2. templa: *α*) Panthea (nr 1—19) p. 96 s.
β) templa et fana Pantheis simillima (nr 1—15) p. 97—99.
γ) De deorum in Pantheis sedentium numero et ordine p. 99 s.
δ) De Pantheorum forma p. 101—103.
3. menses p. 103.
4. dies festi, sacrificia, preces, vota p. 103—107.
α) sacra anniversaria, menstrua p. 103 s.
β) sacra in rebus facta extraordinariis p. 104—106.
5. pompae p. 106 s.
B) Quid testimonia — doceant . . . . . 107—121
I. De *πάντων θεῶν* veneratione privata p. 107 s.
II. De *πάντων θεῶν* veneratione publica p. 109—117.
1. De *πάντων θεῶν* in modum aetatis prioris veneratione p. 109.

pagina

2. De iustis atque perpetuis *πάντων θεῶν* sacris publicis p. 109—117.
   a) De *πάντων θεῶν* sacrorum inter cetera sacra publica auctoritate p. 110 s.
   b) De numero sacrorum *πάντων θεῶν* p. 111 s.
   c) Ubi quandoque *πάντων θεῶν* sacra publica institui coepta sint p. 113 s.
   d) Quibus de causis *πάντων θεῶν* sacra publica instituta sint p. 114—117.

III. De *πάντων θεῶν* veneratione intra sacra deorum singulorum p. 117 s.

IV. De universa *πάντων θεῶν* veneratione p. 118—121.

Pars IV. *Πάντες θεοί — Πάνθεος* . . . . . 121—128

Index locorum . . . . . 129—131

Corrigenda 131

Index compendiorum.

Ath. Mitt.	= *Mitteilungen des deutschen archäolog. Instituts zu Athen.*
Arch. ep. M.	= *Archäolog.-epigraph. Mitteilungen aus Österreich-Ungarn.*
BCH	= *Bulletin de correspondance hellénique.*
CIG	= Corpus inscriptionum Graecarum.
Collitz-Bechtel	= *Sammlung der griech. Dialektinschr.*, ed. Collitz u. Bechtel.
CIL	= Corpus Inscriptionum Latinarum.
Jahrb. d. Inst.	= *Jahrbuch des Kaiserl. deutschen archäol. Instituts.*
Jahreshefte	= *Jahreshefte des österr. archäol. Instituts.*
IG	= Inscriptiones Graecae.
IMagn.	= *Inschriften von Magnesia am Mäander*, ed. O. Kern.
IPerg.	= *Inschriften von Pergamon*, ed. M. Fränkel.
IPriene	= *Inschriften von Priene*, ed. F. Hiller de Gaertringen.
Jour. Hell. Stud.	= *Journal of Hellenic Studies.*
Le Bas-Wadd.	= Le Bas et Waddington, *Voyage archéol. en Grèce et en Asie mineure.*
Michel, Recueil	= Michel, *Recueil d'inscriptions grecques.*
OGIS	= Orientis Graecae inscriptiones selectae ed. Guil. Dittenberger.
SIG³	= Sylloge inscriptionum Graec. tertium ed. Guil. Dittenberger.
Revue arch.	= *Revue archéologique.*
Roscher	= *Ausführl. Lexicon der griech. u. röm. Mythologie*, ed. H. W. Roscher.

Graeci pariter atque alii populi, qui multorum deorum cultores erant, deos suos non modo singillatim, sed etiam binos, ternos, plures communiter venerabantur consociantes cum singulis dis alios nomine *θεῶν συννάων, συμβώμων, ἐντεμενίων*. Sed cum alia oppida alios plerumque deos coniunctim colerent, duo horum sacrorum genera paulatim omnium civitatum Graecarum, quin etiam Romanorum et aliorum populorum communia facta sunt, sacra *δώδεκα θεῶν* et *πάντων θεῶν*. Cum de duodecim deorum cultu iam saepius disputatum sit, veneratio cunctorum deorum in universum adhuc fere neglecta est. Quamobrem omnia ad *πάντων θεῶν* cultum spectantia testimonia congerere et secundum temporum terrarumque rationem disponere quidque de illa religione testimonia doceant enucleare in hac dissertatione mihi proposui. E virorum doctorum numero, qui de cunctis deis in universum egerunt hoc loco iam Hermannus Usener, *Götternamen*, p. 344 ss. et P. Hoefer in Roscheri lexico mythologico III, 1551 ss. commemorentur.

Pars I.

De antiquissimis temporibus.

Permultis locis Iliadis et Odysseae *θεοί, πάντες θεοί, Ζεὺς καὶ ἄλλοι ἀθάνατοι, Ζεὺς καὶ πάντες θεοί* invocantur et coluntur. Agitur quidem non de universitate omnium omnino numinum, sed de dis solis, *οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.*[1]) Sed quoniam poeta vel potius poetae illorum carminum deos Olympios solos fere res humanas administrantes sacraque accipientes faciunt, universitas Olympiorum eorumque veneratio communis non multum differt ab universitate et veneratione numinum omnium. Utique honores, qui illi deorum coetui afferuntur, simul toti deorum civitati vindicari possunt. Similiter omnium Olympiorum loco invocari constat illam triadem Iovis Minervae Apollinis notissimis verbis *αἲ γάρ, Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον*[2]), tum solum Iovem deorum summum multis locis.

1. Preces.

Θ 346 s. Graeci a Troianis repulsi:

πᾶσι θεοῖσιν
χεῖρας ἀνίσχοντες μεγάλ' εὐχετόωντο ἕκαστος.

μ 337 Ulixes in insula Thrinacia pro reditu felici:
ἠρώμην πάντεσσι θεοῖς, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν.

ν 238 s. *ὡς δ' αὕτως Εὔμαιος ἐπεύξατο πᾶσι θεοῖσι νοστῆσαι Ὀδυσσῆα.*

Accedunt formulae huius generis:

Θ 526 *εὔχομαι ἐλπόμενος Διί τ' ἄλλοισίν τε θεοῖσιν.*

Υ 104 *θεοῖς ἀειγενέτῃσι εὔχεο.*

[1]) Cf. Il. *A* 399, *P* 196, *Z* 129. 527, *E* 890; Od. *ι* 15, *ε* 240, *μ* 337, *ξ* 394, *ε* 169, *ν* 54.

[2]) Il. *B* 370, *Δ* 285, Od. *δ* 341, *ζ* 391.

Z 475 *Ζεῦ ἄλλοι τε θεοί, δότε δή.*
Λ 363 *τὰ δὲ πάντα θεοὶ μεταμώνια θεῖεν.*
ϑ 413 *θεοὶ δέ τοι ὄλβια δοῖεν.*
γ 346 *Ζεὺς τό γ' ἀλεξήσειε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι.*

2. Iuramenta.

H 411 s. Agamemno ad legatos Troianorum:
ὅρκια δὲ Ζεὺς ἴστω ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης.
ὥς εἰπὼν τὸ σκῆπτρον ἀνέσχεθε πᾶσι θεοῖσι.

In sollemni iurisiurandi formula *Γ* 275 ss. testes foederis Agamemno nominat Iovem Idaeum, Solem, Fluvios (scil. campi Troiani), Terram, Plutonem Proserpinamque; milites autem libantes vs. 296 ss.

εὔχοντο θεοῖς ἀειγενέτῃσιν·
ὧδε δέ τις εἶπεσκεν Ἀχαιῶν τε Τρώων τε·
Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι.

Sequitur imprecatio periurantium.

α 273 Minerva ad Telemachum:
θεοὶ δ' ἐπὶ μάρτυροι ἔστων.

ξ 394 Ulixes ad Eumaeum:
μάρτυροι ἀμφοτέροισι θεοί, τοὶ Ὄλυμπον ἔχουσιν.

A 339 s. Achilles se a pugnando plane destiturum esse coram praeconibus iurat:
πρός τε θεῶν μακάρων πρός τε θνητῶν ἀνθρώπων
καὶ πρὸς τοῦ βασιλῆος ἀπηνέος.

3. Sacrificia.

a) Libationes et alia libamenta.

Z 259 Hecuba poculum porrigens Hectorem adhortatur, ut antequam bibat libet *Διὶ πατρὶ καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισι.*
ϑ 89 Ulixes cantu Demodoci permotus:
καὶ δέπας ἀμφικύπελλον ἑλὼν σπείσασκε θεοῖσιν.
ϑ 432 Idem ab Alcinoo donatur poculo, quo *ἤματα πάντα σπένδῃ ἐνὶ μεγάρῳ Διί τ' ἄλλοισίν τε θεοῖσιν.*
ν 54 Phaeaces
ἔσπεισαν μακάρεσσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.
σ 425 Proceres *θεοῖσι*
σπείσαντες μακάρεσσι, πίον μελιηδέα οἶνον.

ξ 446 Eumaeus *ἄργματα θῦσε θεοῖς ἀειγενέτῃσιν*
σπείσας δ' ἄϑοπα οἶνον.
I 219 Achilles *θεοῖσι δὲ θῦσαι ἀνώγει*
Πάτροκλον ὃν ἑταῖρον· ὃ δ' ἐν πυρὶ βάλλε θνηλάς.
γ 332 Pylios diem festum Neptuni sollemniter agentes Minerva admonet, ut epulis finem faciant:
ἀλλ' ἄγε τάμνετε μὲν γλώσσας, κεράασθε δὲ οἶνον,
ὄφρα Ποσειδάωνι καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισι
σπείσαντες κοίτοιο μεδώμεθα.

Libatio sollemniter fit ab omnibus Pyliis:
vs. 341 *γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον, ἀνιστάμενοι δ' ἐπέλειβον.*
β 432 Telemachus sociique crateribus in navem portatis profecturi:
λείβον δ' ἀθανάτοισι θεοῖς αἰειγενέτῃσιν,
ἐκ πάντων δὲ μάλιστα Διὸς γλαυκώπιδι κούρῃ.

b) Sacrificia sollemnia.

I 357 Achilles minatur: in patriam cras revertar
ἱρὰ Διὶ ῥέξας καὶ πᾶσι θεοῖσιν.
λ 132 ss. Ulixem, si in patriam rediturus esset, Tiresias immolare iubet
ἱερὰς ἑκατόμβας
ἀθανάτοισι θεοῖσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι,
πᾶσι μάλ' ἑξείης.
ρ 50 Telemachus ante necem procerum matri mandat:
εὔχεο πᾶσι θεοῖσι τελησσας ἑκατόμβας
ῥεξέμεν, αἴ κέ ποθι Ζεὺς ἄντινα ἔργα τελέσσῃ.
I 535 Oeneo, regi Calydonis, Diana irascitur, quod
ἄλλοι δὲ θεοὶ δαίνυνθ' ἑκατόμβας,
οἴῃ δ' οὐκ ἔρρεξε Διὸς κούρῃ μεγάλοιο
ἢ λάθετ' ἢ οὐκ ἐνόησεν.

Quod sacrificia ipsa et haec et cetera sollemnia attinet, haud satis perspicuum est, utrum de sacrificiis agatur singulis dis Olympiis eodem tempore separatim factis, id quod maxime ex versibus *I* 535 ss. et *λ* 132 ss. propter verba *πᾶσι μάλ' ἑξείης* facile concludi potest, an de sacrificiis omnibus Olympiis communiter factis singulis dis nominatim invocatis, id quod equidem praeferam.

Aras autem omnium deorum proprias haec sacra vix desiderant, cum dis omnibus sacrificari et in aris Iovis vel alterius dei possit et in *ἑστίᾳ κοινῇ*, ad quam Ioa. Pomtow *Klio* XII 1912, 289 rettulit illum *θόλον* in aula Ulixis inter domum et murum situm (*χ* 442. 459. 466) et Dörpfeld (*Ath. Mitt.* XXX 1905, 152) aram rotundam Tirynthiam. Cf. Curtium Müller, *Tiryns* III 1930, 137.

Testimonia supra allata satis docent homines Homericos persaepe ad deos in commune se convertisse idque cum in variis vitae cotidianae rebus, imprimis quotiescumque in cenis et conviviis libabant, tum in angustiis et aliis rebus gravioribus. Iam quibus de causis universi dei tam saepe implorati sint, quaerendum est. Id fieri non potuisse apparet, nisi omnes dei res humanas communiter regere credebantur. Quam opinionem demonstrant versus huiusmodi:

Σ 115 s. *X* 365 s. *κῆρα δ' ἐγὼ τότε δέξομαι, ὁππότε κεν δὴ*
Ζεὺς ἐθέλῃ τελέσαι ἠδ' ἀθάνατοι θεοὶ
α 267 *ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.* [*ἄλλοι.*
Υ 194 *ἀτὰρ σὲ Ζεὺς ἐρρύσατο καὶ θεοὶ ἄλλοι.*
λ 275 Oedipus *Καδμείων ἤνασσε θεῶν ὀλοὰς διὰ βουλάς.*

Tum eadem deorum opinio illustratur multis illis deorum conciliis, quae in carminibus[1]) et operibus artificum[2]) occurrunt. Praeterea is, qui deos invocat omnes, et sperare potest unum saltem ex omnium numero ei auxiliaturum esse (*μ* 333 ss. Ulixes: *ἀνὰ νῆσον ἀπέστιχον, ὄφρα θεοῖσιν εὐξαίμην, εἴ τίς μοι ὁδὸν φήνειε νέεσθαι*) neque debet timere, ne quis deus neglectus sibi suscenseat ut Diana Oeneo.

Morti autem addictus est, qui omnibus dis odio est ut *Z* 140 Lycurgus, *Z* 200 Sarpedon *ἀθανάτοισι ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν.*

ξ 366 Eumaeus perisse opinatur Ulixem, quod *ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν,*

contra qui mortem effugit, haud omnibus dis invitis servatus est:

[1]) Et Iliadis et Odysseae multis locis. Hesiod. theog 390, hymn. Homer. in Cer. 235, in Apoll. 371.

[2]) Cf. Herzog, *Die Olymp. Göttervereine in der griech. Kunst*, Lipsiae 1884.

ξ 240 s. *οὐ πάντων ἀέκητι θεῶν, οἵ Ὄλυμπον ἔχουσιν,*
Φαιήκεσσ' ὅδ' ἀνὴρ ἐπιμίσγεται ἀντιθέοισι.

Qui vero fortunatissimus est, eum amicum esse omnium deorum consentaneum est. Ad quam opinionem illustrandam nonnullos locos aliunde accitos afferre liceat.

In hymno in Ven. (205) Anchises beatus praedicatur *τετιμένος πᾶσι θεοῖσι* atque in oraculo Pythiae (Herod. I 65) Lycurgus Lacedaemonius ut *Ζηνὶ φίλος καὶ πᾶσιν Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσι.* Quare nemini maius quicquam optari potest favore omnium deorum. In hymno in Cererem dea filias regis Celei salutat: *ὑμῖν μὲν πάντες Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες δοῖεν κουριδίους ἄνδρας καὶ τέκνα τεκέσθαι* (135). Hesiodus vero in Operibus vs. 79 s. iudicat primam mulierem, quam dei, ut homines infelicissimos redderent, creavissent, a Mercurio nominatam esse

Πανδώρην, ὅτι πάντες Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
δῶρον ἐδώρησαν, πῆμ' ἀνδράσιν ἀλφηστῆσιν.

Agricolas Boeotios mane deis omnibus vinum libare consuevisse docet Hesiodus vs. 724 s.

μηδέ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λειβέμεν αἴθοπα οἶνον
χερσὶν ἀνίπτοισι μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.

Cf. de loco haud dubie interpolato Wilamowitz *Hesiodos' Erga* 124.

Pars II.

De liberarum civitatum temporibus.

A) Inscriptiones.

1. **Naucrati in Aegypto.** *Journal of Hellenic studies* XXV 1905, 116 ss. Naucrati, ubi a novem civitatibus Ionicis anno 550 a. Chr. n. coloniam conditam esse Herodotus (II 178) narrat, fundamenta eruta sunt permagni *τεμένους*, quod a Graecis *Ἑλλήνιον* dicebatur. In quinque vasorum fragmentis ibi inventis idem titulus comparet, qui propter litteraturam saeculo V a. Chr. tribuendus est: *τοῖς θεοῖς τῶν Ἑλλήνων.*

His donariis atque aliis, quae singulis numinibus Graecorum dedicata sunt, fretus D. G. Hogarth sic iudicavit: *The whole*

mass of remains belongs to an edifice apparently devoted to the worship of several individual gods and the „Gods of the Greeks" as a whole.

2. Titulus Selinunte in Sicilia repertus, Dittenberger-Hiller Syll. III 1122, unde saec. V a. Chr. donarium aureum in Apollinis templum dedicatum esse apparet, cui nomina numinum incisa sunt, quorum auxilio Selinuntii victoriam deberi crediderunt: *Δι]ὰ τὸν Λία νικῦμες καὶ διὰ . . .* enumerantur alia octo numina . . . *καὶ δι[ὰ] τὸς ἄλλος θεός, [δ]ιὰ δὲ Λία μάλιστ[α] κτλ.* Selinuntios hoc donario omnibus, quos colebant, dis simul gratiam rettulisse elucet.

3. Agrigenti. Nomen proprium muliebre *Πάνθεια.* De Empedocle philosopho Diogen. Laert. VIII 2, 11: *Ἕρμιππος δέ φησι Πάνθειάν τινα Ἀκραγαντίνην ἀπηλισμένην ὑπὸ τῶν ἰατρῶν θεραπεῦσαι αὐτὸν καὶ διὰ τοῦτο τὴν θυσίαν ἐπιτελεῖν.*

4. Olympiae. Dittenberger-Purgold, *Inschriften von Olympia* 267. Circa 460 a. Chr. n. In fragmento basis perlongae, quod prope latus septentrionale templi Iovis extat, titulus legitur, quem Pausaniae loco (VI 26, 2) nisus supplevit G. Kaibel: *[Μίκυθος ὁ Χοίρου Ῥηγῖνος καὶ Μεσσή]νιος ϝοικέων ἐν Τεγέῃ, [τἀγάλματα τάδε θεοῖς ἀνέθηκε πᾶσι]ν καὶ θεαῖς πάσαις. κτλ.* Pro filio aegrotissimo servando Micythus multorum deorum et complurium heroum statuas dedicat.

Cf. O. Kern *Orpheus* 1920, 4; U. de Wilamowitz-Moellendorff, Pindaros 489 adn. 2, 209 adn. 3.

5. Thasi. Precatio sollemnis IG XII 8, 264. „Decretum valde mutilum in muro templi in arce exstructi cum aliis multis inscriptum; litterae saec. IV a. Chr. n. ineuntis. Agitur de civitate conferenda. Videntur inter cives recipi cum alii tum filii peregrinorum e Thasiis feminis suscepti". Qua lege, ut rei publicae usui sit, preces videntur decerni. vs. 9 *εὔξασθαι τοὺς ἱερεῖς* vel *τὸν κήρυκα . . . . κα]ὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς πᾶσιν ἀγαθ[ὰ* aut *ἀγαθὴν τύχην . . .]*

6. Athenis. Donarium, saec. IV med. IG II 3, 1327. Tabula marmoris Pentelici reperta in stadio Panathenaico, nunc asservata in museo Berolinensi, quae in parte superiore ornatur figuris Mercurii, trium Nympharum, Acheloi capitis, Panis, in parte inferiore anaglyphis Cereris et Proserpinae et hominis barbati cum equo ad aram accedentis, in parte media

hoc titulo: *Οἱ πλυνῆς Νύμφαις εὐξάμενοι ἀνέθεσαν καὶ θεοῖς πᾶσιν.* Sequuntur duodecim nomina peregrinorum, libertinorum, servorum. „Deos in anaglyphis repraesentatos ad ripas Ilissi cultos esse constat." Udalricus Koehler.

B) Scriptores.

I. Poetae.

7. Aeschylus. a) Precationes.

Septem adv. Thebas 69 ss. Eteocles:

ὦ Ζεῦ τε καὶ Γῆ καὶ πολισσοῦχοι θεοί,
Ἀρά τε Ἐρινὺς πατρὸς ἡ μεγασθενής,
μή μοι πόλιν γε πρυμνόθεν πανώλεθρον
ἐκδαμνίσητε.

vs. 86. chorus:

ἰὼ ἰὼ θεοὶ
θεαί τ' ὀρόμενον κακὸν ἀλεύσατε.

vs. 108: *θεοὶ πολιάοχοι χθονὸς ἵθ' ἀθρόοι* — deinceps nominatim invocantur Iuppiter, Minerva, Neptunus, Mars, Iuno, Diana, Apollo, tum pergitur vs. 166 ss.:

ἰὼ παναρκεῖς θεοί,
ἰὼ τέλειοι τέλειαί τε γᾶς
τᾶσδε πυργοφύλακες . . .

vs. 271 s. Eteocles pro urbe servanda sacrificia, praedam, vestes hostium vovet

χώρας τοῖς πολισσούχοις θεοῖς,
πεδιονόμοις τε κἀγορᾶς ἐπισκόποις,
Δίρκης τε πηγαῖς, ὕδατι τ' Ἰσμηνοῦ.

b) Supplicatio ante pugnam.

Supplices vs. 23 ss. chori precatio:

ὦ πόλις, ὦ γῆ καὶ λευκὸν ὕδωρ,
ὕπατοί τε θεοὶ καὶ βαρύτιμοι
χθόνιοι θήκας κατέχοντες,
καὶ Ζεὺς σωτὴρ τρίτος, οἰκοφύλαξ
ὁσίων ἀνδρῶν, δέξασθ' ἱκέτην
τὸν θηλυγενῆ στόλον.

c) Sacrificia ante pugnam.

Supplices vs. 449 ss. Rex Argivorum:

ὅπως δ' ὅμαιμον αἷμα μὴ γενήσεται,
δεῖ κάρτα θύειν καὶ πεσεῖν χρηστήρια
θεοῖσι πολλοῖς πολλά.

d) Sacrificia post victoriam.

Agamemno vs. 88 ss. Troia expugnata est. Chorus:

πάντων δὲ θεῶν τῶν ἀστυνόμων
ὑπάτων, χθονίων
τῶν τ' οὐρανίων τῶν τ'ἀγοραίων
βωμοὶ δώροισι φλέγονται.

8. **Sophocles.** Devotio ac precatio:

Oedipus rex 269 ss. Oedipus:

καὶ ταῦτα τοῖς μὴ δρῶσιν εὔχομαι θεοὺς
μήτ' ἄροτον αὐτοῖς γῆς ἀνιέναι τινά, . . .
ὑμῖν δὲ τοῖς ἄλλοισι Καδμείοις, ὅσοις
τάδ' ἔστ' ἀρέσκονθ', ἥ τε σύμμαχος Δίκη
χοἱ πάντες εὖ ξυνεῖεν εἰς ἀεὶ θεοί.

9. **Euripides.** Ius iurandum. Medeae vs. 746 ss.

Medea:

ὄμνυ πέδον Γῆς, πατέρα θ' Ἥλιον πατρὸς
τοὐμοῦ θεῶν τε συντιθεὶς ἅπαν γένος.

Aegeus vs. 752:

ὄμνυμι Γαῖαν Ἡλίου θ' ἁγνὸν σέβας
θεούς τε πάντας ἐμμενεῖν ἃ σου κλύω.

Cf. de versu 752 commentarium Ioannis ab Arnim.

10. **Aristophanes.** a) Ius iurandum. Thesmophor. 270 ss.

Affinis Euripidis:

συσσώσειν ἐμὲ
πάσαις τέχναις, ἤν μοί τι προσπίπτῃ κακόν.

Euripides: *ὄμνυμι τοίνυν αἰθέρ', οἴκησιν Διός.*
aff.: *τί μᾶλλον ἢ τὴν Ἱπποκράτους ξυνοικίαν;*
Euripides: *ὄμνυμι τοίνυν πάντας ἄρδην τοὺς θεούς.*
Vespae 1135: *τουτὶ τὸ κακὸν τί ἐστιν πρὸς πάντων θεῶν;*
Nubes 6241: *μὰ τὸν Δία τὸν μέγαν καὶ τοὺς θεούς.*

b) Precationes. 1. Imitatio comica sollemnis comitiorum Atheniensium precationis.

Thesmophor. 295 ss. Initio contionis mulierum coryphaeus invocat *Θεσμοφόρους, Πλοῦτον, Καλλιγένειαν, Κουροτρόφον,* Mercurium, Gratias. Deinde feminarum chorus invocat Iovem, Apollinem, Minervam, Dianam, Neptunum, Nymphas; post coryphaeus pergit vs. 331:

εὔχεσθε τοῖς θεοῖσι τοῖς Ὀλυμπίοις καὶ ταῖς Ὀλυμπίαισι καὶ τοῖς Πυθίοις καὶ ταῖσι Πυθίαισι καὶ τοῖς Δηλίοις καὶ ταῖσι Δηλίαισι τοῖς τ' ἄλλοις θεοῖς, εἴ τις ἐπιβουλεύει τι τῷ δήμῳ κακόν . . ., κακῶς ἀπολέσθαι τοῦτον . . ., ταῖς δ' ἄλλαισι ἡμῖν τοὺς θεοὺς εὔχεσθε πάσαις πολλὰ δοῦναι καὶ ἀγαθά.

2. Imitatio illius precationis, qua Athenienses sacrificia in prytaneo facientes utebantur.

Aves 864 ss. Sacerdos *τοῖς καινοῖς θεοῖς* i. e. avibus sacra facturus alta voce haec verba praeit *Εὔχεσθε τῇ Ἑστίᾳ τῇ ὀρνιθείῳ καὶ τῷ ἰκτίνῳ τῷ Ἑστιούχῳ καὶ ὄρνισιν Ὀλυμπίοις καὶ Ὀλυμπίῃσι πᾶσι καὶ πάσῃσιν καὶ τῷ ἱέρακι τῷ Σουνιακῷ καὶ κύκνῳ Πυθίῳ καὶ Δηλίῳ καὶ Λητοῖ ὀρτυγομήτρᾳ καὶ Ἀρτέμιδι ἀκαλανθίδι καὶ φρυγίλῳ Σαβαζίῳ καὶ στρούθῳ μεγάλῃ Μητρὶ θεῶν καὶ ἀνθρώπων διδόναι Νεφελοκοκκυγιεῦσιν ὑγίειαν καὶ σωτηρίαν αὐτοῖσι καὶ Χίοισι καὶ ἥρωσιν ὄρνισι καὶ ἡρώων παισί.*

3. Breves invocationes.

α) Ecclesiaz. 171. Praxagora hac invocatione orationem aperit

τοῖς θεοῖς μὲν εὔχομαι τυχεῖν κατορθώσασι τὰ βεβουλευμένα.

β) Ibid. 475. *ὦ πότνια Παλλὰς καὶ θεοί.*
Plut. 438. *ἄναξ Ἄπολλον καὶ θεοί.*
Ibid. 81. *ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον καὶ θεοὶ καὶ δαίμονες καὶ Ζεῦ.*
Acharn. 225. *ὦ Ζεῦ πάτερ καὶ θεοί.*
Plut. 1. 898. *ὦ Ζεῦ καὶ θεοί.*
Lysistr. 777. *ὦ πάντες θεοί.*

11. **Menander.** a) Sacrificia. 1. *Κόλαξ* frag. 1 (p. 108) Jensen ex Athenaeo XIV 659 d:

Μένανδρος ἐν Κόλακι τὸν . . . μάγειρον ἐν τῇ τῆς Παν-δήμου Ἀφροδίτης ἑορτῇ ποιεῖ ταυτὶ λέγοντα·

σπονδή· δίδου σὺ σπλάγχν' ἀκολουθῶν· ποῖ βλέπεις;
σπονδή· φέρ' ὦ παῖ Σωσία· σπονδή· καλῶς

ἔχει[1]). θεοῖς Ὀλυμπίοις εὐχώμεθα
Ὀλυμπίασι πᾶσι πάσαις — λάμβανε
τὴν γλῶτταν ἐν τούτῳ — διδόναι σωτηρίαν
ὑγιείαν, ἀγαθὰ πολλά, τῶν ὄντων τε νῦν
ἀγαθῶν ὄνησιν πᾶσι· ταῦτ' εὐχώμεθα.

2. Σαμία 184ss. Jensen
τουτὶ τὸ πρόβατον τοῖς θεοῖς μὲν τὰ νόμιμα
ἅπαντα ποιήσει θυθὲν καὶ ταῖς θεαῖς·
αἷμα γὰρ ἔχει, χολὴν ἱκανήν, ὀστᾶ καλά,
σπλῆνα μέγαν, ὧν χρεία ἐστι τοῖς Ὀλυμπίοις.

b) Breves precationes, invocationes vitae cotidianae. Σαμία 269 Jensen χάριν δὲ πολλὴν πᾶσι τοῖς θ[εοῖς ἔχω].

De vocibus πρὸς θεῶν vel πρὸς τῶν θεῶν similibusque vide Jenseni indicem p. 154.

νὴ τὸν Ἀπόλλω [καὶ θε]ού[ς Epitr. 567 Jens.
cf. μὰ τοὺς δώδεκα θ[εούς] Samia 91 Jens.

II. Oracula.

12. Demosthenes πρὸς Μακάρτατον 66

Μαντεία·

Ἀγαθῇ τύχῃ, ἐπερωτᾷ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων περὶ τοῦ σημείου τοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ γενομένου ὅτι ἂν δρῶσιν Ἀθηναίοις ἢ ὅτῳ θεῷ θύουσιν ἢ εὐχομένοις εἴη ἐπὶ τὸ ἄμεινον ἀπὸ τοῦ σημείου· συμφέρει Ἀθηναίοις περὶ τοῦ σημείου ... θύοντας καλλιερεῖν Διὶ ὑπάτῳ, Ἀθηνᾷ ὑπάτῃ, Ἡρακλεῖ, Ἀπόλλωνι σωτῆρι καὶ ἀποπέμπειν Ἀμφιόνεσι· περὶ τύχας ἀγαθᾶς Ἀπόλλωνι ἀγυιεῖ, Λατοῖ, Ἀρτέμιδι καὶ κατ' ἀγυιὰς κρατῆρας ἱστάμεν καὶ χοροὺς καὶ στεφανηφορεῖν κατὰ πάτρια θεοῖς Ὀλυμπίοις πάντεσσι καὶ πάσαις ἰδίας δεξιὰς καὶ ἀριστερὰς ἀνίσχοντας καὶ μνασιδωρεῖν.

Κατὰ Μειδίου 52

Μαντεία·

Περὶ ὑγιείας θύειν καὶ εὔχεσθαι Διὶ ὑπάτῳ, Ἡρακλεῖ, Ἀπόλλωνι προστατηρίῳ· περὶ τύχας ἀγαθᾶς — reliqua sicut in altero oraculo: θεοῖς Ὀλυμπίοις πάντεσσι καὶ πάσαις ἰδίας δεξίας καὶ ἀριστερὰς ἀνίσχοντας καὶ μνασιδωρεῖν.

[1]) καλῶς· εὖχου A; corr. Wilamowitz.

III. Rerum scriptores et oratores.

13. Herodotus VIII 64. Ante pugnam Salaminiam οἱ περὶ Σαλαμῖνα Ἕλληνες constituunt
εὔξασθαι τοῖσι θεοῖσι καὶ ἐπικαλέσασθαι τοὺς Αἰακίδας συμμάχους· ὡς δέ σφιν ἔδοξε καὶ ἐποίευν ταῦτα· εὐξάμενοι γὰρ πᾶσι τοῖς θεοῖσιν αὐτόθεν μὲν ἐκ Σαλαμῖνος Αἴαντά τε καὶ Τελαμῶνα ἐπεκαλέοντο.

14. Thucydides IV 87, 2 μάρτυρας μὲν θεοὺς καὶ ἥρωας τοὺς ἐγχωρίους ποιήσομαι. II 74, 3. Archidamus, rex Laced., Plataeenses bello persecuturus: Θεοὶ ὅσοι γῆν τὴν Πλαταιίδα ἔχετε καὶ ἥρωες, ξυνίστορες ἔστε ...

15. Xenophon a) Jurisiurandi formulae: Anab. VII 6, 18. ὀμνύω γὰρ ὑμῖν θεοὺς ἅπαντας καὶ πάσας μήδ' ἃ ἐμοὶ ἰδίᾳ ὑπέσχετο Σκεύθης ἔχειν.

Ibid. VI 1, 31. ὀμνύω ὑμῖν θεοὺς πάντας καὶ πάσας.

Ibid. VI 6, 17. ἐγώ, ὦ ἄνδρες, ὄμνυμι θεοὺς καὶ θεάς.

b) Nomen proprium Pantheae. Cyri inst. IV 6, 11. Hoc loco multisque aliis (V 1, 1 et 7. VI 1, 33 et 45; 4, 3. VII 3, 4. 14. 17) Xenophon summis laudibus propter sinceram erga Abradatam maritum fidem effert Πάνθειαν, Σουσίδα γυναῖκα, ἣ καλλίστη δὴ λέγεται ἐν τῇ Ἀσίᾳ γυνὴ γενέσθαι.

16. Demosthenes. a) Iuraiuranda. 1. Κατὰ Κόνωνος 41. νῦν ὀμνύω τοὺς θεοὺς καὶ τὰς θεὰς ἅπαντας καὶ ἁπάσας ὑμῶν εἵνεκ', ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ τῶν περιεστηκότων, ἧ μὴν ... 2. Πρὸς Ζηνόθεμιν 31. πάντας ὑμῖν ὄμνυμι τοὺς θεοὺς ἢ μὴν ἐρεῖν τἀληθῆ ... 3. Κατ' Ἀριστοκράτους 5. ἐγὼ γοῦν (ὀμνύω τοὺς θεοὺς ἅπαντας) ἀπώκνησ' ἂν ...

Formulae breviores:
νὴ τοὺς θεούς (περὶ παραπρεσβ. 24)
μὰ τοὺς θεούς (κατὰ Φίλ. IV 20 et aliis locis)
μὰ τοὺς θεοὺς καὶ τὰς θεάς (περὶ παραπρεσβ. 67)
πρὸς Διὸς καὶ θεῶν (παραπρεσβ. 19 et aliis locis),
πρὸς Διὸς ξενίου καὶ πάντων θεῶν (πρὸς Ἡρακλεόδωρον I 1),
μὰ τὸν Δία τὸν ἄνακτα καὶ θεοὺς ἅπαντας (πρὸς Λάκριτον 40),
μὰ τὸν Δία καὶ θεοὺς πάντας (κατ' Ἀριστοκράτους 188),
μὰ (νὴ) τὸν Δία καὶ πάντας θεούς (κατὰ Φίλ. IV 7, κατ' Ἀριστογείτονος I 13, περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ 49),
νὴ τὸν Δία καὶ θεοὺς ἅπαντας (ὑπὲρ Φορμίωνος 61),

μὰ τὸν Δία καὶ τοὺς ἄλλους θεούς (κατὰ Φίλ. III 54),
μὰ τὸν Δία καὶ θεούς (ὑπὲρ Φορμίωνος 53, περὶ τοῦ στεφ. 129, πρὸς Ζηνόθεμιν 10),
νὴ τὸν Ἡρακλέα καὶ πάντας θεούς (πρὸς Ἡρακλεόδωρον XVIII 24).

b) Precationis formulae.

Περὶ ὁμονοίας 1.

Παντὸς ἀρχομένῳ σπουδαίου καὶ λόγου καὶ ἔργου ἀπὸ τῶν θεῶν ὑπολαμβάνω προσήκειν πρῶτον ἄρχεσθαι, εὔχομαι δὴ τοῖς θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις, ὅτι τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων ἄριστόν ἐστι καὶ τοῖς εὐνοοῦσι τῷ δήμῳ καὶ νῦν καὶ εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον, τοῦτ' ἐμοὶ μὲν ἐλθεῖν ἐπὶ νοῦν γράψαι, τοῖς δ' ἐκκλησιάσασιν Ἀθηναίων ἑλέσθαι. Περὶ τοῦ στεφάνου 1. Πρῶτον μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις, ὅσην εὔνοιαν ἔχων ἐγὼ διατελῶ τῇ τε πόλει καὶ πᾶσι ὑμῖν, τοσαύτην ὑπάρξαι μοι παρ' ὑμῶν εἰς τουτονὶ τὸν ἀγῶνα.

Περὶ τῶν συμμοριῶν 39. εὔχεσθε δὲ πᾶσι τοῖς θεοῖς τὴν αὐτὴν λαβεῖν παράνοιαν ἐκεῖνον (sc. regem Persarum), ἥνπερ ποτὲ τοὺς προγόνους αὐτοῦ. Περὶ τοῦ στεφάνου 141. καλῶ δ' ἐναντίον ὑμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοὺς θεοὺς πάντας καὶ πάσας, ὅσοι τὴν χώραν ἔχουσι τὴν Ἀττικήν, καὶ τὸν Ἀπόλλω τὸν Πύθιον, ὃς πατρῷός ἐστι τῇ πόλει, καὶ ἐπεύχομαι πᾶσι τούτοις, εἰ μὲν ἀληθῆ πρὸς ὑμᾶς εἴποιμι καὶ εἶπον . . ., εὐτυχίαν μοι δοῦναι καὶ σωτηρίαν, εἰ δὲ πρὸς ἔχθραν . . . αἰτίαν ἐπάγω τούτῳ ψευδῆ, πάντων τῶν ἀγαθῶν ἀνόητόν με ποιῆσαι.

Περὶ ὁμονοίας 16. τὸν Δία τὸν Δωδωναῖον καὶ τοὺς ἄλλους θεούς, οἳ πολλὰς καὶ καλὰς κἀγαθὰς καὶ ἀληθεῖς ὑμῖν μαντείας ἀνῃρήκασι, ἡγεμόνας ποιησάμενοι καὶ παρακαλέσαντες καὶ κατὰ τῶν νικητηρίων ἅπασιν αὐτοῖς εὐξάμενοι μετὰ τῆς ἀγαθῆς τύχης ἐλευθεροῦτε τοὺς Ἕλληνας. Περὶ τῆς παραπρεσβείας 299. φησὶ δὲ γ' ἡ μαντεία (sc. Δωδωναία) δεῖν, ὅπως ἂν μὴ χαίρωσι οἱ ἐχθροὶ ποιεῖν . ἅπασι τοίνυν μιᾷ γνώμῃ παρακελεύεται κολάζειν τοὺς ὑπηρετηκότας τι τοῖς ἐχθροῖς ὁ Ζεύς, ἡ Διώνη, πάντες οἱ θεοί.

Κατὰ Φίλιππον II 37 in peroratione: ταῦτ' οὖν . . . μὴ γένοιτ', ὦ πάντες θεοί. Κατὰ Φιλ. III 76 in peroratione: ὅτι δ' ὑμῖν δόξει, τοῦτ', ὦ πάντες θεοί, συνενέγκοι.

Περὶ τοῦ στεφάνου 324 μὴ δῆτ', ὦ πάντες θεοί, μηδεὶς, ταῦθ' ὑμῶν ἐπινεύσειεν.

Invocationes breves:

ὦ Ζεῦ καὶ θεοί (πρὸς Μακάρτατον 68, aliis locis)
ὦ Γῆ καὶ θεοί (περὶ τῆς παραπρεσβείας 287, aliis locis).

17. **Dinarchus** κατὰ Δημοσθένους 64. μαρτύρομαι τὰς σεμνὰς θεάς, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ τὸν τόπον, ὃν ἐκεῖναι ἔχουσιν, καὶ τοὺς ἥρωας τοὺς ἐγχωρίους καὶ τὴν Ἀθηνᾶν τὴν Πολιάδα καὶ τοὺς ἄλλους θεούς, οἳ τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν ἡμῖν εἰλήχασιν.

18. **Aeschines.** Precatio: Κατὰ Τιμάρχου 116.

δύο δέ μοι τῆς κατηγορίας εἴδη λείπεται, ἐφ' οἷς ἐμαυτόν τ' εἰπεῖν εὔχομαι τοῖς θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις ὑπὲρ τῆς πόλεως ὡς προῄρημαι.

19. **Lycurgus** κατὰ Λεωκράτους 1.

Δικαίαν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ εὐσεβῆ καὶ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ ὑπὲρ τῶν θεῶν τὴν ἀρχὴν τῆς κατηγορίας Λεωκράτους τοῦ κρινομένου ποιήσομαι . εὔχομαι γὰρ τῇ Ἀθηνᾷ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς καὶ τοῖς ἥρωσι τοῖς κατὰ τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν ἱδρυμένοις, εἰ μὲν εἰσήγγελκα Λεωκράτη δικαίως . . ., ἐμὲ μὲν ἄξιον . . . κατήγορον ποιῆσαι . . ., si autem innocens ille est, eum servare.

20. **Aristoteles.** Nomen τὸ Πάνθειον = universitas deorum fr. 18 Rose[3] (Philo Alexandr. de aeternitate mundi c. 3 [Cohn-Reiter VI 53, 18 editio minor]). Ἀριστοτέλης δὲ . . . ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον ἔφη τὸν κόσμον εἶναι . . . τοσοῦτον ὁρατὸν θεόν, ἥλιον καὶ σελήνην καὶ τὸ ἄλλο τῶν πλανήτων καὶ ἀπλανῶν ὡς ἀληθῶς περιέχοντα Πάνθειον. Nomen τὸ Πάνθειον apte interpretatus est Bernays (*Dialoge des Aristoteles*, Berolini 1863, 100. 166) *die Göttergemeinde*. Quoniam nomen Pantheae Xenophontis aetate iam in usu fuisse vidimus, vox τὸ Πάνθειον Aristotelis aetate mira esse non potest.

Horum testimoniorum pleraque, quoniam scriptoribus Atticis debentur, ad Athenas, quattuor vel quinque ad alia oppida pertinent (Naucratim, Selinuntem, Olympiam, Thasum, Agrigentum). Sed cum in omnibus civitatibus Graecis isdem temporibus eaedem fere res sacrae essent, idem, quod

de his oppidis testimonia tradunt, de ceteris quoque civitatibus dici posse existimo. Excipio illud testimonium, quod primo loco attuli. Nam si ex quinque saeculi quinti donariis τοῖς θεοῖς τῶν Ἑλλήνων dedicatis, quae in ruderibus Naucratis inventa sunt iure coniectura facienda est de templo omnium deorum Graecorum communi, genus nomenque huius templi, quod paulo post hanc coloniam conditam haud scio an exstructum sit, satis explicari potest et ex templi auctoribus et ex eius in finibus barbarorum situ. Primum enim illi coloni a novem civitatibus communiter deducti templo omnibus deis communiter dedicando idcirco studere poterant, quod in patria alii alios deos praeter ceteros coluerant. Deinde et nomen Ἑλλήνιον toti delubro tributum et donaria τοῖς θεοῖς τῶν Ἑλλήνων dicata ostendunt omnes colonos in finibus Aegyptiorum deorumque Aegyptiorum communi nomine ac religione Graecorum maxime gavisos esse. Hinc quoque illi ad templum dis Graecorum in commune aedificandum facile commoveri poterant.

Transeamus ad cetera testimonia. Haec genera extant:

1. Donaria tria (Selinunte, Olympiae saec. V med., Athenis saec. IV med.);

2. Preces ac sacrificia (Athenis a temporibus Aeschyli, Thasi saec. IV in.);

3. Iuramenta (Athenis a temporibus Euripidis et Aristophanis);

4. Breves invocationes (Athenis a temporibus Aristophanis);

5. Nomen proprium *Πάνθεια* (Agrigenti saec. V med., Athenis temporibus Xenophontis).

6. Nomen τὸ *Πάνθειον* (Athenis a temporibus Aristotelis).

Donariorum tituli, preces, iuramenta, invocationes aeque ac versus Homerici duplicem rationem omnium deorum venerandorum praebent: et sola imploratur universitas deorum et cum uno vel pluribus dis nominatim invocatis consociatur.

Optimis liberarum civitatum temporibus testimonia tribuo 2. 3. 4. 7. 8. 13. Quorum pars mihi videtur docere civitates Graecorum summo periculo toti rei publicae instante universis aut plurimis (cf. 7 c) dis publice cultis supplicare votaque facere consuevisse (7 a, b; 13), periculo superato

victoriaque parta omnibus dis simul, sed singulis vel compluribus inter se coniunctis separatim in aris sacrificare (7 d), donaria autem omnibus dis in commune vota in templo eius dei collocare, qui colebatur praeter ceteros (2). Rebus in angustissimis etiam privatos ad deos omnes confugisse Micythi donaria demonstrant (4). Testimonia 9. 10 a, quae paulo recentiora quidem sunt, docent homines, ut semet ipsos iuraiuranda servaturos esse demonstrarent aut alios cogerent praeceptis suis obsequi, post certum deum vel certos deos invocavisse omnes universos. Non satis perspicuum mihi videtur esse, num nomen *Πάνθεια* temporibus Empedoclis Agrigenti in usu fuerit, cum testimonium aetatis posterioris sit. Quod nomen theophorum saeculo quinto posse apud Graecos hic illic fuisse haud negaverim. Saeculi quinti exeuntis et quarti ineuntis complures loci Aristophanis et Xenophontis et inscriptio Thasiaca sunt. In ea precatione, quae sacris praeibat in ara publica factis, post Vestam aliosque deos deorum universitatem imploratam esse Aristophanes docet (10 b 2). Quae sacra tum non Vestae soli, sed praeter ceteros deos simul dis omnibus fiebant.

Pariter initio comitiorum praeco nomine populi post certos deos implorabat omnes, ut eos perderent, qui consilia mala darent, ceteris autem donarent multa ac bona (10 b 1). Quem morem secuti nonnulli eorum, qui in comitiis verba faciebant, a generali deorum invocatione loqui exordiebantur (10 b 3 *α*). Hic illic etiam populus in comitiis ipsis aut postea pro prospero plebiscitorum gravissimorum eventu preces sollemnes in certorum omniumque deorum honorem fieri videtur iussisse (5). Iurare per omnes deos sollemne genus verborum firmandorum tum vulgo putatum esse e testimoniis 10 a et 15 a apparet. Invocationes quoque eius generis, quas 10 b 3 *β* praebet, in usu vitae cotidianae non videntur rarae fuisse. Postremo nomen Pantheae Xenophontis temporibus in Graecia haud ita novum fuisse statui potest (15 b).

Saeculo quarto medio fere tribuenda sunt anaglyphum Nymphis omnibusque dis dedicatum (6) et permulta testimonia Demosthenis (16), singula Aeschinis (18) et Lycurgi (19). Demosthenes precationes comitiorum ipsorum et oratorum vetustiorum (10 b 1, b 3 *α*) imitatus formulis longioribus et

brevioribus sive in exordio orationum sive in fine sive intra eas per omnes deos iurat (16a), auxilium eorum implorat, cives iis supplicare iubet; idem Iovis Dodonaei oraculo voluntatem simul omnium deorum manifestum fieri credit (16b). Praeterea testatur oracula Delphica hac aetate Atheniensibus consulentibus praescripsisse, ut omnes cives pro fortuna bona impetranda et Apollini, Latonae, Dianae certa sacra et dis omnibus preces facerent (12). Ex tot testimoniis iure concludere licet etiam in vita cotidiana persaepe omnes deos simili modo esse invocatos.

Sub finem denique quarti saeculi dis omnibus etiam sacrificatum esse a privatis in aris domesticis ex Menandri fabulis apparet (11a). Qui poeta in ea precatione, quam testimonium 11a praebet, aeque atque Aristophanes supra 10b2 imitari videtur praefationem sacrorum in ara publica factorum.

Quoniam, qualis et quanta fere omnium deorum veneratio singulis liberarum civitatum temporibus fuerit, tantum in lucem proferre studui, quantum testimoniorum ipsorum numerus ac genus pati visa sunt, nunc inquiramus, utrum studium huius venerationis per totum hoc spatium idem fuerit an paulatim creverit. Quam rem illae formulae illustrare mihi videntur, in quibus universitas deorum post deos certos invocatur. Nam cum optimis temporibus liberarum civitatum proprium fuisse constet alias res in aliorum deorum tutela esse, dubitari non potest, quin primo in ara publica Vestae soli sacrificatum sit, in comitiis soli di constituti invocati sint. Oraculis quoque Apollinis, quibus aetate Demosthenis Athenienses fortunae bonae impetrandae causa praeter sacra tribus numinibus facienda omnes deos precari iubentur, superiore aetate sola sacrificia in honorem certorum deorum facienda praescripta esse et ex verbis illorum oraculorum (12) et ex nominibus trium numinum invocatorum neque minus inde concludere licet, quod etiam propter signum quoddam in caelo visum et propter valetudinem ternis numinibus solis sacra fieri deus iubet. Postremo, ut alia praetermittam, affero iusiurandum illud per Terram et Solem et omnes deos datum (9). In quo iuramento omnes dei locum occupaverunt Iovis. Antiquissima enim consuetudo erat iurandi per Iovem Terram Solem. Quae trias sancta comparet iam apud Homerum (supra p.2), eademque in multis iuramentis aetatis

posterioris (infra p.31) primum locum obtinet. Ex quibus omnibus sequitur, ut tempore quodam in sollemnes precationis et iurisiurandi formulas invocatio omnium deorum publice inserta sit. Qua fere aetate ab Atheniensibus id factum sit, ex duabus illis Aristophanis formulis concludi posse existimo. Illudi enim a poeta comico coacervatum potissimum deorum in prytaneo et comitiis invocatorum numerum apparet. Id autem Aristophanes vix fecisset, nisi consuetudo tot deorum invocandorum tum fuisset nova. Hinc igitur temporibus belli Peloponnesiaci illam omnium deorum invocationem additam esse colligo. Quam opinionem eis, quae sequantur, confirmari puto. Quaerentes enim, qua de causa imploratione deorum adhuc invocatorum homines non iam contenti fuerint, facere non possumus, quin credamus coepisse eos dubitare de potentia singulorum deorum id est labefactam tum esse opinionem deorum antiquitus acceptam. Factum id esse constat ipsa Aristophanis aetate et bello illo diuturno et ratione sophistarum.

Iam omnia, quae exposui, si una comprehensione complecti licet, optimis liberarum civitatum temporibus et publice et privatim deorum universitatem vix imploratam esse dici potest nisi in rebus adversis, a fine autem circiter saeculi quinti constanter crevisse huius venerationis studium ac vim, id quod etiam confirmari videtur maiore testimoniorum numero, quem ab ea ipsa aetate extare vidimus.

Pars III.

Ab aetate Alexandri Magni usque ad antiquitatem exeuntem.

I. Iuraiuranda.

1. Chersonesi.

SIG I³ 360 v. 1. „Iusiurandum quo qui adulescentes adulti in tabulas civium referebantur, obstringi soliti erant.“ Saec. IV exeuntis aut III in.

Ὀμνύω Δία, Γᾶν, Ἅλιον, Παρθένον, [θ]εοὺς Ὀλυμπίους καὶ Ὀλυμπίας [κ]αὶ ἥρωας, ὅσοι πόλιν καὶ χώραν καὶ τείχη ἔχοντι τὰ Χερσονασιτᾶν.

v. 51. *Ζεῦ καὶ Γᾶ καὶ Ἅλιε [καὶ] Παρθένε καὶ θεοὶ Ὀλύμπιοι ἐμμέν[ον]τι μέμ μοι εὖ εἴη ἐν τούτοις κτλ.*

2. Pergami.

IPerg I 13 = OGIS I 266. Pactum inter Eumenem regem, Philetaeri filium, et mercennarios seditiosos paulo post a. 263 verisimiliter initum.

v. 24. Iusiur. ducum et militum:

Ὀμνύω Δία, Γῆν, Ἥλιον, Ποσειδῶ, Δήμητρα, Ἄρη, Ἀθηνᾶν Ἀρείαν καὶ τὴν Ταυροπόλο[ν] καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς πά[ν]τας καὶ πάσας.

v. 53. Iusiur. Eumenis: post *Ποσειδῶ* inseritur *Ἀπόλλω.*

3. Smyrnae.

OGIS I 229. Foedus inter Smyrnaeos et Magnetes ad Sipylum, c. a. 244. Iusiur. Magn. v. 60.

Ὀμνύω Δία, Γῆν, Ἥλιον, Ἄρη, Ἀθηνᾶν Ἀρείαν καὶ τὴν Ταυροπόλον καὶ τὴ[ν] Μητέρα τὴν Σιπυληνὴν καὶ Ἀπόλλω τὸν ἐμ Πάνδοις καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς πάντας καὶ πάσας καὶ τὴν τοῦ βασιλέως Σελεύκου τύχην.

v. 70. Iusiur. Smyrn., qui Apollinis loco invocant *Ἀφροδίτην Στρατονικίδα*, omittunt Fortunam Seleuci.

4. Neoclaudiopoli (Galatiae).

OGIS II 532 v. 8. Iusiurandum ab incolis provinciae Paphlagoniae anno a. Chr. n. III fere coram legatis imperatoris Augusti datum.

Ὀμνύω Δία, Γῆν, Ἥλιον, θεοὺς πάντα[ς καὶ πά]σας καὶ αὐτὸν τὸν Σεβασ[τ]όν

5. Orchomeni (Arcadiae).

SIG I³ 490 v. 8. Pactum inter Orchomenios et foedus Achaicum, paulo post a. 234/33 a. Chr. Utrique idem iusiurandum dant.

Ὀ[μ]νύω Δία Ἀμάριον, Ἀθάναν Ἀμαρίαν, Ἀφ[ρο]δί[ταν καὶ τοὺ]ς θ[εοὺς πάντας καὶ πάσας.

6. Messenes.

SIG I³ 472. Societas Messeniorum et Phigalensium; inter a. 250 et 222. Iusiur. Mess.

Ὀμ]νύω Δία Ἰθωμάταν, Ἥρα[ν . . . | . . . . .]ον καὶ θεὼς ὁρκί[ως πάντας καὶ πάσας.

7.

Polyb. VII 9. Foedus Hannibalis et Philippi III., a. 215 a. Chr. Iusiurandum datur

ἐναντίον Διὸς καὶ Ἥρας καὶ Ἀπόλλωνος,
ἐναντίον δαίμονος τῶν Καρχηδονίων καὶ Ἡρακλέους καὶ Ἰολάου,
ἐναντίον Ἄρεως, Τρίτωνος, Ποσειδῶνος,
ἐναντίον θεῶν τῶν συστρατευομένων καὶ Ἡλίου καὶ Σελήνης καὶ Γῆς,
ἐναντίον Ποταμῶν καὶ Λιμένων καὶ Ὑδάτων
ἐναντίον πάντων θεῶν, ὅσοι κατέχουσι Καρχηδόνα,
ἐναντίον θεῶν πάντων, ὅσοι Μακεδονίαν καὶ τὴν ἄλλην Ἑλλάδα κατέχουσιν,
ἐναντίον θεῶν πάντων τῶν κατὰ στρατείαν, ὅσοι τινὲς ἐφεστήκεσαν ἐπὶ τοῦδε τοῦ ὅρκου.

8. Elateae (Phocidis).

IG IX 1, 98. Foedus Boeotorum et Phocensium; paulo post a. 196. Utrique sic iurant:

[Ὀμνύω τ]ὸν Δία τὸμ Βασιλέα καὶ τὴν Ἥραν τὴμ Βασίλειαν καὶ τὸμ Ποσει[δῶνα καὶ τὴ]ν Ἀθηνᾶν καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς πάντας καὶ πάσας.

9. Coropes.

IG IX 2, 1109. Saec. a. Chr. n. II (Kern) aut I (Lolling). Magistratus propter oraculum Apollinis Coropaei iureiurando obstringi plebiscitum iubet v. 55:

Ὀμνύω Δία Ἀκραῖον καὶ τὸν Ἀπόλλω[να] τὸν Κοροπαῖον καὶ τὴν Ἄρτεμιν τὴν Ἰωλκίαν καὶ τοὺς ἄλ[λους] θεοὺς πάντας καὶ πάσας.

10. Praesi (Cretae).

SIG I³ 524. Circa saec. III part. prioris. Pactum Praesiorum et Stalitarum; agitur de navigatione et piscatu; v. 15 iusiur. magistratus Praesiorum quotannis Stalitis dandum:

Ὀμνύω Δῆ[να Δικταῖον, Ποτ]ειδῶνα, Ἀθάναν, Ἀπόλλωνα Πύθι[ον καὶ θεοὺς πάντας] καὶ πάσας.

11. Itani (Cretae).

SIG I³ 526. Litterae saec. III a. Chr. n. Iusiurandum civile.

Θεὸς ἀγαθός· [Τάδ]ε ὤμοσαν τοὶ Ἰτάνιοι πά[ντες] Δία Δικταῖον καὶ Ἥραν καὶ θ[εο]ὺς τοὺς ἐν Δίκται καὶ Ἀθην[α]ίαν Πολιάδα καὶ θεούς, ὅσο[ις] ἐν Ἀθαναίαι (sic!) *θύεται, πάντας καὶ Δία Ἀγοραῖον καὶ Ἀπόλλωνα Πύθιον.*

12. Dreri (Cretae).

SIG I³ 527. Circa 220 a. Chr. Iusiur. epheborum Dreriorum; v. 15:

Ὀμνύω τὰν Ἑστίαν τὰν ἐμ πρυτανείωι καὶ τὸν Δῆνα τὸν Ἀγοραῖον καὶ τὸν Δῆνα τὸν Ταλλαῖον καὶ τὸν Ἀπέλλων[α] τὸν Δελφίνιον καὶ τὰν Ἀθαναίαν τὰν Πολιοῦχον καὶ τὸν Ἀπέλλωνα τὸμ Ποίτιον καὶ τὰν Λατοῦν καὶ τὰν Ἄρτεμιν καὶ τὸν Ἄρεα καὶ τὰν Ἀφρο[δ]ίταν καὶ τὸν Ἑρμᾶν καὶ τὸν Ἅλιον καὶ τὰν Βριτόμαρ[τι]ν καὶ τὸμ Φοίνικα καὶ τὰν Ἀμφι[ώ]ναν καὶ τὰγ Γᾶν καὶ τὸν Οὐρανὸν καὶ ἥρωας καὶ ἡρωάσσας καὶ κράνας καὶ ποταμοὺς καὶ θεοὺς πάντας καὶ πάσας·

13. Hierapytnae (Cretae).

Cauer, Delectus Inscr. Gr.² 117. Post 200 a. Chr. n. Foedus Hierapytniorum et Lyttiorum; v. 13 (utrique per eosdem deos iurant):

Ὀμνύω τὰν Ἑστίαν καὶ Ζῆνα Ὀράτριον καὶ τὰν Ἀθαναίαν Ὠλερίαν καὶ Ζῆνα Μο[υνίτιον καὶ Ἥρ]αν καὶ Ἀθαναίαν Πολιάδα καὶ Ἀπόλλωνα Πύτιον καὶ Λατὼ καὶ Ἄρτεμιν καὶ Ἄρεα καὶ Ἀφροδίταν καὶ Κωρῆτας καὶ Νύμφας καὶ θεὸς πάντας καὶ πάσας.

14. Ibid.

Collitz-Bechtel III² 5039. Saec. II a. Chr. n., post a. 146 Deiters. Pactum Hierapytniorum et coloniae incertae; v. 11:

Ὀμνύω τὰν Ἑστίαν καὶ Τῆνα Ὀράτριον καὶ Τῆνα Δικταῖον καὶ Ἥραν καὶ Ἀθαναίαν Ὠλερίαν καὶ Ἀθαναίαν Πολιάδα καὶ Ἀθαναίαν Σαλμωνίαν καὶ Ἀπόλλωνα Πύτιον καὶ Λατὼ καὶ Ἄρτ[ε]μιν καὶ Ἄρεα καὶ Ἀφροδίταν καὶ Κορῆτας καὶ Νύμφας καὶ τὸς Κορυβάντας καὶ θεὸς πάντας καὶ πάσας.

Cf. ibid. 5041 = Michel, *Recueil* 24 iusiur. Lydiorum et Hierapytniorum.

15. Gortynae (Cretae).

Ibid. 5024. Saec. II ex. fere. Foedus Gortyniorum, Hierapytniorum, Priansiorum; v. 60 et 76 ss. Omnia tria oppida eadem iurisiurandi formula utuntur, quae similis generis est atque 14.

16. Latus (Cretae).

Ibid. 5075. Inter a. 100 et 68 a. Chr. n. Pactum Latiorum et Oloëntiorum. Utrique eadem formula utuntur, quae similis est ceteris. Iuratur per sedecim numina et omnes deos deasque.

In hoc titulo lacuna, quae est inter *Ποτειδᾶν* et *Ἀπέλλωνα*, mihi videtur expleta fuisse nomine Minervae, non Amphitrites; illa enim in ceteris titulis Creticis omnibus ante Apollinem comparet.

17. Coi.

Hippocrates ed. Littré IV 628. Iusiurandum omnibus dandum, qui in scholam *Ἀσκληπιαδῶν* i. e. medicorum Coicam recipiebantur.

Ὄμνυμι Ἀπόλλωνα ἰητρὸν καὶ Ἀσκληπιὸν καὶ Ὑγείαν καὶ Πανάκειαν καὶ θεοὺς πάντας τε καὶ πάσας.

18. Neapolis.

Dittenberger-Purgold, *Inschr. v. Olympia* 56. Decretum valde mutilum Neapolitanorum, quod est de ludis Neapoli actis. Iusiurandum videtur datum esse ab omnibus athletis. Post annum II a. Chr. n.

Ὄ[μ]νυμι τ[ὸν Δία καὶ τὸν Ἀπό]λλωνα καὶ . . . καὶ το]ὺς ἄλλους [θεοὺς πάντας καὶ πάσας.

[19.]

Er. Ziebarth in *Χάριτες, Friedrich Leo zum 60. Geburtstag dargebracht*, Berlin 1911, 395 ss. Iusiurandum in coenobio Laurissensi a. 1562 repertum.

Ὅρκος βουλευτῶν· Ὄμνυμι δία ὀλύμπιον, καὶ δία βουλαῖον, καὶ ἑστίαν βουλαίαν καὶ δία τέλειον, καὶ ἥραν τελείαν καὶ ἀθηνᾶν πρόνιαν καὶ νίκην καὶ φιλίαν, καὶ ὁμόνοιαν καὶ δίκην καὶ θέμιν καὶ τύχην ἀγαθὴν καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς πάντας καὶ πάσας.

Huius iuramenti numina si conferuntur cum numinibus ceterorum, vix est dubium, quin vetus alicuius oppidi Graeci formula tota hic non praebeatur. Textum autem antiquiorem brevioremque in formam eam, quae extat, redactum esse a rhetore quodam aetatis imperatoriae haud scio an recte iudicaverit Wilamowitzius (apud Ziebarthium p. 406).

20. Mileti.

Duae formulae, quas libro modo citato (p. 405) debeo, hic afferantur.

Milet Inv. 149, 59. *νὴ τὴν Ἑστίαν τὴμ Βουλαίαν καὶ τοὺς ἄλλους θεούς.*

Milet Inv. 150, 109. *νὴ τὸν Ἀπόλλωνα τὸν Διδυμέα καὶ τὴν Ἑστίαν τὴν Βουλαίαν καὶ τὸν Δία καὶ τὴν Ἀθηνᾶν καὶ τοὺς ἄλλους θεούς.*

21. Delphis.

BCH 27 (1903), 107 v. 14. Decretum Amphictyonum Delphicorum anni 117 a. Chr. n. Hoc iusiurandum pariter ac proximum in exordio deorum invocatione caret, habet autem eam in imprecatione, quae in fine iuramentorum ponebatur.

ἐφιορκοῦντι δὲ [Θέμις] καὶ Ἀπόλλων Πύθιος καὶ Λητὼ καὶ Ἄρτεμ[ις καὶ] Ἑστία καὶ πῦρ ἀθάνατον καὶ θεοὶ πά[ντες καὶ πᾶσαι κακίστωι ὀλέθρωι τὴν] σωτηρίαν μοι [ἀφέλωσι]ν.

22. Aritii.

CIL II 172. Iusiurandum Aritiensium anno 37 p. Chr. n. legato imperatoris dato.

„Si sciens fallo fefellerove, tum me liberosque meos Iuppiter opt. max. ac divus Augustus ceterique omnes Di immortales expertem patria, incolumitate fortunisque omnibus me faxint."

23.

Cicero, De imperio Gn. Pomp. 70:

Testor omnes deos et eos maxime, qui huic loco temploque praesident, qui omnium mentes eorum, qui ad rem publicam adeunt, perspiciunt.

Iurisiurandi formulae, quas congessi, quattuor saeculorum sunt et locorum diversissimorum:

saec. III a. Chr. n. undecim sunt: 1—4 Asiae, 5—7 Graeciae, 10—12 Cretae, 17(?) Coi insulae; saec. II sex: 8. 9. 21 Graeciae, 13—15 Cretae; saec. I duae: 3 Paphlagoniae, 16 Cretae; saec. I p. Chr. n. duae: 18. 22 Italiae.

In quibus omnibus cum post certos deos omnes universi isdem fere verbis invocentur, saeculo a. Chr. n. tertio medio fere in omnibus omnium civitatum Graecarum sollemnibus iurisiurandi formulis omnium deorum invocationem usitatam fuisse illa testimonia ipsa satis illustrant. In usum autem eam venisse iam multo ante et ex illis similibus formulis, quas a scriptoribus Atticis iam adhibitas esse capite priore vidimus, cognosci posse existimo et ex huius capitis formularum structura, in quam altius iam penetrabimus vestigia secuturi Useneri, qui hac de re disseruit *Rhein. Mus.* II 58 (1903), 17 ss.

Nominatim invocari vidimus in formulis 4. 5. 9. solos tres deos, in plerisque autem plures, permultos in Creticis, in una vero (12) plus quam viginti.

Primo per tres deos solos vulgo apud Graecos sollemniora iuraiuranda data esse — per alios scilicet tres deos aliis in rebus — Usener iam explanavit. Tituli 1—4 indicare mihi videntur tres illos deos *Δία, Γῆν, Ἥλιον*, per quos iam in Iliade iurari supra vidimus, omnium Asiae civitatum Graecarum ab antiquissimis temporibus communes fuisse. In omnibus Cretae formulis et brevioribus et longioribus cum idem tres di *Ζεύς, Ἀθαναία, Ἀπόλλων* occurrant, hos ipsos ab omnibus Cretensibus in iureiurando antiquitus praecipue invocatos esse apparet; quos deos eosdem esse, qui apud Homerum communiter invocarentur formula illa: *αἰ γάρ, Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον* monuit iam Usener. Alios tres deos antiquiores ex titulo 8 cognosco, nam Iuno Iovi videtur addita esse. Etiam titulus 17 tria numina praebet artius inter se coniuncta: Asclepium, Hygieam, Panaciam.

Ex formula 21 haud scio an concludi possit Delphis priore aetate iuratum esse per Themidem, Apollinem, Vestam.

Tituli 2 et 3 praeter *Δία Γῆν Ἥλιον* etiam alia tria numina praebent: *Ἄρην, Ἀθηνᾶν Ἀρείαν καὶ τὴν Ταυροπόλον*, belli numina, ut docent nomina.

In iureiurando 7 denique quinquies terni di invocantur, quin etiam ceteri di omnes comprehenduntur invocatione triplici.

Tribus illis dis, qui primo soli invocabantur, additos esse vidimus posteriore aetate aut alios deos omnesque aut omnes solos, aetate regum praeterea Fortunam regum (3), aetate imperatoria sive imperatorem ipsum (*τὸν Σεβαστὸν*) sive imperatores consecratos (22) apud eas scilicet civitates, quae in dicione Romanorum erant.

Adiciebantur in titulo 1 *Παρθένος*, dea a Chersonesitis maxime culta; in titulis 2 et 3 praeter eadem tria numina belli alia duo vel tria valde ab iurantibus culta; in titulo 10 *Ποσειδῶν*, cum res navales, in titulo 11 *Ζεὺς Ἀγοραῖος*, cum res civiles iurarentur, praeterea in hoc titulo *Ἥρα*, Iovis coniunx.

In titulis Creticis illi tres di antiquissimi Iuppiter, Minerva, Apollo varia cognomina habent, sub quibus a singulis civitatibus colebantur; ante hos deos in titulis 13—16 prima omnium invocatur Vesta; Apollini pariter atque in 21 Latona et Diana additae sunt; subsequuntur Mars et Venus, Curetes et Nymphae, quibuscum in 14 Corybantae, in 16 Mercurius, in 15 ambo coniunguntur; in 16 post Venerem duae aliae deae, in 15 post Nymphas una dea inseritur. Singularis est inter titulos Creticos 12. *Ζεὺς Ἀγοραῖος* Vestae adiunctus facile explicatur ex iurantibus ut in titulo 10, tum inter Iovem et Minervam inseritur Apollo Delphinius; desunt inter Mercurium et omnes deos Nymphae et Curetae, inseruntur autem Sol et Britomartis, Phoenix et Amphiona, Terra et Caelum, Heroes et Heroides, Fontes et Fluvii.

De progressione publicarum iurisiurandi formularum sic iudicavit Usener. Cum iuraiuranda per tres deos antiquitus data religione patria inde a temporibus sophistarum labefactata non iam satis firma visa essent, a singulis civitatibus primo diversos deos *ὁρκίους*, qui variis in rebus invocati essent, post aetatem Alexandri Magni permultos vero deos, qui maxime

culti essent, ad novas series coniunctos esse, postremo reges vel imperatores additos esse. Quibus formulis invocationem omnium deorum vulgo insertam esse ab Alexandri fere aetate, omnium autem deorum invocationi antecessisse deorum Olympiorum invocationem, quae occurreret apud Lysiam (13, 95; 19, 34 et 54) et Isaeum (8, 29) itemque in iureiurando Chersonesitarum (supra 1). Quae opinio mihi satis probabilis non videtur. Nam deos Olympios ad exemplum scilicet Homeri hic illic imprimisque a scriptoribus invocari mirum non est. Certum autem est omnium deorum invocationes ut in precationibus ita in iureiurando iam aetate Euripidis, Aristophanis et Xenophontis magisque temporibus Demosthenis in usu fuisse. Quare equidem potius credam illis quoque publicis iurisiurandi formulis invocationem omnium deorum insertam esse iam ante Alexandri aetatem, fortasse haud ita multo postquam ternarius deorum numerus ad iuraiuranda firmanda non iam satis idoneus existimatus est.

II. Exsecrationes.

Tituli Asiae. (1—8 Tituli Lyciae).

Vide formulam tituli Chersonesiaci 1 v. 51 capitis prioris.

1. Telmessi.

BCH 14 (1890), 162 = Michel, *Recueil* 547. Decretum populi a. 240 a. Chr.

v. 30. *ἐὰν δὲ μὴ συντέλει ὁ ἄρχων καὶ οἱ πολῖται τὴν [θυσ]ίαν* (sc. *Διὶ Σωτῆρι*) *κατ' ἐνιαυτόν, ἁμαρτωλοὶ ἔστωσαν [θεῶ]ν πάντων.*

2. Gjoelbachi.

Arch. ep. M. VII (1883), 142, 3. Tit. sepulcr., litterae saec. I a. Chr.

v. 5. *ἐὰν δέ τις ἀδικήσῃ(ι) τὴν στήλην, ἁμαρτωλὸς ἔστω εἰς τοὺς θεοὺς ἅπαντας.*

3. Myrae.

a) Petersen-Luschan, *Reisen im südwestl. Kleinasien* II (1889), 36, 58. Tit. sepulcr., litt. s. I a. Chr.

v. 4. *εἰ δὲ μή, ἁμαρτωλὸς ἔστω θεῶν πάντων.*

b) BCH XVII (1893), 640. Tit. sep. priore recentior.

ἔσται ἁ[μαρτωλὸς] εἰς τὴν Ἐλευθέ[ραν] καὶ τοὺς Μυρέ[ων θε]οὺς π[ά]ντα[ς.

Eleuthera in alio titulo appellatur ἀρχηγέτις.

4. Rhodiapoli.

Jour. Hell. Stud. XV (1895), 114, 31. Tit. sep., litt. s. I a. Chr.

εἰ δὲ μή, ἁμαρτωλὸς ἔστω θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις.

5. Aloandae.

Ibid. XV, 104, 9. Tit. sep. in sarcophago, litt. s. I vel II p. Chr.

ἁμαρτωλὸς ἔ[στω ὁ] παρὰ τὰ προγεγραμμένα θ[άψ]ας θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις.

6. Oenoandae.

a) Petersen-Luschan, *Reisen* 159, 187. Tit. sep., litt. s. II p. Chr.

ἐὰν δέ τις ἀδικήσῃ τὴν σωματοθήκην, ἔσται ἐπάρατος θεοῖς καὶ θεαῖς πᾶσι.

b) Ib. 183, 234. Tit. sep. priore paulo recentior.

v. 12. [ἐ]πά[ρ]ατο[ς ἔσ]τω θεοῖς πᾶσιν.

7. Milyade.

a) Ibid. 174, 223. Tit. sep. aet. imperatoriae.

ὃς δ' ἂν ἀδικήσει τὸν κίονα ἢ τὰ ἐφεστῶτα ἀγάλματα, ἔστω θεοῖς πᾶσι ἔνοχος.

b) Ib. 166, 193. Tit. sep. in columna, aet. imp.

ἂν δέ τις κολοβώσει, ἔνοχος ἔστω πᾶσι θεοῖς καὶ Σελήνῃ καὶ Λητῶ (sic!).

8. Pinaris.

a) CIG III 4259. Tit. sep., litt. s. I vel II p. Chr.

ἐὰν δέ [τ]ις παρὰ ταῦτα ποιήσῃ, [ἁ]μαρτωλὸς ἔστω θεῶν πάντων καὶ Λητοῦς καὶ τῶν τέκνων [αὐτῆς].

b) Ibid. 4253. Tit. sep. aet. imp.

ἔστω ἱερόσυλος [θ]εοῖς οὐ[ρ]ανίοις καὶ καταχθονίοις.

9. Cibyrae (Cariae).

Petersen-Luschan, *Reisen* 192, 257. Tit. sep. aet. imp.

v. 9. ὃς ἂν τολμήσῃ —, τούτῳ οἱ πάντες θε[οὶ κεχολ]ωμένοι γένοισαν καὶ [τῷ γένει αὐ]τοῦ.

9a. Tit. Lydiae.

Keil-v. Premerstein, *Denkschriften der Acad. Wien* LIV (1911), 99 = SIG II² 752. Titulus sepulcr.

ἐχέτω τοὺς δήμου Ῥωμαίων θε[οὺς κεχολ]ωμένους πάντας καὶ πάσας. „*Die Drohung mit dem Zorne der Götter des röm. Volkes hängt wohl damit zusammen, daß der Erblasser das röm. Bürgerrecht besaß.*“ Keil-v. Premerstein.

10. Termessi (Pisidiae).

BCH XXIV (1900), 56. Tit. sep. aet. imp.

θεῶν Πισιδικ[ῶν] κεχολωμένων τύχοιτο.

11. Tit. Ciliciae.

Journ. Hell. St. XII (1891), 267, 59. Tit. sep. aet. imp. posterioris.

v. 2. ἐνορκίζομεν τοὺς οὐρανίους θεοὺς καὶ τοὺς καταχθονίους.

v. 6. ὃς δ' ἂν τολμήσῃ ἢ ἐπιτηδεύθῃ, ἔξει πάντα τὰ θεῖα κεχολωμένα καὶ τὰς στυγερὰς Ἐρεινύας.

12. Tit. Commagenes.

Humann-Puchstein, *Reisen in Kleinasien etc.* p. 259 ss. = OGIS 383. Tit. sep., lex sacra Antiochi I, regis Commagenes (ca. 70—30 a. Chr.).

v. 206. Quicumque hanc legem negleget, τούτωι δαιμόνων ὀργὴ καὶ θεῶν ἁπάντων . . . ἀνείλατος (sic!) ἔστω.

v. 225. οἷς ταῦτα πράσσουσιν ἐγὼ κατρῴους ἅπαντας θεοὺς ἐκ Περσίδος τε καὶ Μακέτιδος γῆς Κομμαγηνῆς τε ἑστίας εἵλεως . . . εὔχομαι διαμένειν.

v. 233. Quicumque regnum meum adeptus hanc legem servabit, παρὰ τῆς ἐμῆς εὐχῆς ἵλεως δαίμονας καὶ θεοὺς πάντας ἐχέτω, quicumque autem eam negleget, παρὰ θεῶν ἐχθρὰ πάντα.

13. Cnidi.

IG III 3 appendix: Defixionum tabellae, ed. R. Wuensch, X ss.

„Tabellae sunt plumbeae, scriptae secundo vel primo a. Chr. n. saeculo, repertae Cnidi ad templum Cereris."

a) = Coll-B. 3541. *Ἀνατίθη]τι Ἀ[γ]εμόν[η] τὴν σπατάλην ἣν ἀπώλεσ[α ἐν τοῖς κήπ]οις τοῖς Ῥοδοκλεῦς [Δ]άματρι καὶ κούραι καὶ θεοῖς [π]ᾶ[σ]ι [καὶ πά]σαι[ς.*

b) = C-B 3536. *Ἀνιεροῖ Ἀντιγόνη Δάματρι, Κούραι, Πλούτωνι, θεοῖς τοῖς παρὰ Δάματρι ἅπασι καὶ πάσαις·*

c) = C-B 3537. *Ἀνιεροῖ Ἀρτεμεὶς Δάματρι, Κούρα[ι, θεοῖς παρὰ Δάματρι πᾶσι, ὅστις . . .*

d) C-B 3547. *Δάμ]ατρι καὶ Κούραι καὶ τοῖ[ς ἄλ]λοις θεοῖς πᾶσι ἀνατί[θημι] Δωροθέαν.*

e) Newton, *Halicarnassus, Cnidus and Branchidae* 741, 90. *Ἀνατίθημι Δάματρι καὶ Κούραι καὶ θεοῖς το]ῖς παρὰ [Δά]ματρι πᾶσι καὶ πά[σα]ις Τελεσίαν.*

Tituli Graeciae.

14. Athenis.

a) Vide supra 7, 8 formulam, quam Sophocles habet.

b) Vide formulam in comitiis ineuntibus usitatam, quam Aristophanes praebet supra 8, 10 b.

c) *Archiv für Religionswissenschaft* 14 (1911), 143 ss. Lamina plumbea originis Atticae saec. III a. Chr. n. a servo conscripta. (p. 145). *Καταδήω . . . τούτων τῶν ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν* (sequuntur 12 nomina) *καὶ ἐλπίδας καὶ παρὰ θεῶν καὶ πα(ρ') ἡρώων καὶ ἐργεσίας ἡπάσας καὶ πρὸς τὸν Ἑρμῆν τὸν κάτουχον καὶ πρὸς τὴ[ν] Ἑκάτην καὶ πρὸς τὴν Γῆν ⟨καὶ τὴν Γὲν⟩, πρὸς θεοὺς ἅπαντας καὶ μετέρα θεῶν.*

d) IG III 2, 1423. Aetatis imp.

Παραδίδωμι τοῖς καταχθονίοις θεοῖς τοῦτο ἡρῶον φυλάσσειν, Πλούτωνι καὶ Δήμητρι καὶ Περσεφόνῃ καὶ Ἐρινύσιν καὶ πᾶσι τοῖς καταχθονίοις θεοῖς· εἰ δέ τις κτλ.

Idem fere titulus comparet in tabella plumbea Cretica *Ath. Mitt.* 1893, 211.

e) Wuensch, Defix. tabellae 99. Lamina plumbea in sepulcro reperta; aet. imp.

Δαίμονι χθονίωι καὶ Γῆι χθονίαι καὶ τοῖς χθονίοις πᾶσι πέμπω δῶρον . . .

15. Marathone.

IG IV 187. Aet. imp., in lapide:

Μήτε παρὰ] Ὀλυμπίοις θεοῖς μήτε παρὰ [κατα]χθονίοις θεοῖς [φείδω ἔστω τ]οῦ γένους (seq. nomen) *Μαραθωνίου.*

16. Delphis.

Vide titulum 21 capitis prioris.

17. Hali (Phthiotidis).

IG IX 2, 106. Aet. imp.

εἰ δέ τις τολμήσει ἀνοῖξαι τόδε τὸ μνῆμα, ἀναβήσῃ τὰ περὶ τοὺς θεούς τε κ[αὶ] θεὰς πάσας καὶ ἥρωας πάντας, ἕξει δὲ κ(αὶ) ὀργὴν μεγάλην τοῦ μεγάλου Διός.

18. Methone.

IG IX 2, 1201. Aet. imp. post.

ἐὰν δέ τις ἀπονοηθὶς . . . ἀνοῖξε (sc. *τὴν θήκην*), *ἕξει κεχολώμενον Βασιλέα Θεὸν μέγιστον παντοκράτορα κτίστην ὅλων καὶ θεοὺς πάντας καὶ θεοὺς ἥρωας καὶ αὐτὴν τὴν Δέσποιναν Βασιλίδα κτλ.*

19. Thessalonices.

CIG II 1981. Aet. imp.

ἐπόμνυμι πρὸς τοὺς κληρο]νόμους μου πάντας τοὺς θεούς, ἰς τὴν λ[η]νὸν ταύτην ἕτερον μηδέν[α κοι]μηθῆν[α]ι κτλ.

20. Tituli Italiae.

a) Vide titulum 22 capitis prioris (Aritii).

b) CIL VI 13740, V 3034 (Patavii):

„Neque apud deos superos nec inferos acceptus sit."

Ab antiquissimis temporibus Graeci in variis rebus et publicis et privatis carminibus exsecrabilibus utebantur.[1])

[1]) Cf. E. Ziebarth, Hermae vol. XXX, 57 ss. J. Merkel, *Über die sogenannten Sepulcralmulten* (Göttinger Festgabe für Ihering 1892). R. Wuensch, Defixionum tabellae.

Quorum multa cum invocatione deorum careant, in aliis unus deus aut complures imprimisque di inferi invocantur.[1])

Omnes deos in his formulis primum invenimus apud Sophoclem et Aristophanem, deinde apud Demosthenem. In titulis illi primum occurrunt saeculo III a. Chr. n. (1a, 14c; cf. 1). Saeculi II a. Chr. adhuc unum carmen exsecrabile est (16), saeculi I a. Chr. complura sunt: nr. 3. 4. 12. 13, cetera aetatis imperatoriae sunt. Accedunt eae exsecrationes, quae iurisiurandi formulis in capite priore enumeratis adiunctae sunt; nam etsi invocatio deorum, per quos iusiurandum datum est, in plurimis carminibus exsecrabilibus non iteratur, eosdem deos, ut a iusiurandum violantibus poenas repetant, implorari facile intellegitur. Omnium igitur deorum in exsecrando invocatio ab eadem fere aetate atque in iurando mihi videtur percrebruisse.

III. Breves invocationes.

1.

a) Alciphron IV 19 (ed. Schepers Lipsiae 1905, 150, 21). In extrema epistula:

φανείη δέ, ὦ θεοὶ πάντες, ὃ κοινῇ λυσιτελήσει.

b) Ibid. 150, 5. *ἄπιθι πᾶσι θεοῖς, ἀγαθῇ τύχῃ, δεξιοῖς πνεύμασι, Διὶ οὐρίῳ.*

2.

a) Julianus imp. (ed. Hertlein II, 537) epist. XXXIX ad Maximum philosophum aegrotum:

πορεύοιεν δέ σε σὺν Ἀσκληπιῷ πάντες οἱ θεοὶ καὶ πάλιν ἡμῖν συντυχεῖν δοῖεν.

b) Ibid. II 536, 2 (ep. XXXVII ad Max. phil.) *ἴστω Ζεύς, Ἥλιος, Ἄρης, Ἀθηνᾶ καὶ πάντες θεοί.*

c) Ibid. II, 420, 19; 411, 15; 414, 11; 418, 16; 421, 23. 24; 430, 2; 471, 17. *ὦ Ζεῦ καὶ θεοί*, 454. *νὴ θεοὺς καὶ θεάς.* 419; 420 *ὦ θεοί.*

[1]) *Jour. Hell. St.* XII 231, 11 invocantur *Ζεὺς Σελήνη Ἥλιος.* In defixionum tabellis Mercurius, Terra Mater, Proserpina, Hecate, Furiae, Praxidicae cum singillatim tum coniunctim. Cf. etiam titulos 13. 14. 15. 18. Afferre quoque liceat IG IX 1, 643 (Cephaleniae) *ἐνορκίζομαί σοι τὸν Σεβάστιον ὅρκον, μηδενὶ ἐξὸν ...; Μουσ. τῆς ἐν Σμύρνῃ εὐαγγ. σχολ.* I 110 *ἐὰν δέ τις —, ἐνεύχομαι τῷ Κλαζομενίων δήμῳ τὴν τῶν Σεβαστῶν τύχην καὶ τοὺς πατρίους θεούς ...*

3.

Libanius orat. XV (ed. Foerster II, 131 3).

νῦν μέν, ὦ φθέγμ' Ἀθάνας, νῦν δέ, ὦ φθέγμα Διός, νῦν δὲ Ἀπόλλωνος, Ἡρακλέους, Πανός, πάντων θεῶν καὶ πασῶν.

4.

Oxyrhynchus Papyri ed. Grenfell and Hunt VI 933. Epistula Diogenis cuiusdam ad amicum; saec. II ex. p. Chr.

ἥδιστά σε ἀσπάζομ[αι] εὐχόμενος πᾶσι τ[οῖς θεο]ῖς π[ερὶ τ]ῆ[ς σ]ωτηρίας σου.

5.

CIG III 6814 = Cagnat I 2, 538. „In urceo" Alburni maioris (Daciae), aet. imp.

Εἵλεώς μοι ὁ Σέραπις καὶ οἱ θεοὶ πάντες.

Pares similesque invocationes breves, cum iam apud Aristophanem, Demosthenem, Menandrum occurrant, etsi testimonia saeculorum posterorum adhuc desunt, dubium esse vix potest, quin ab aetate Aristophanis fuerint vulgares.

IV. Nomen proprium *'Πάνθεια'*.

De nomine Pantheae aetate Empedoclis (?) et Xenophontis vide supra 6, 3 et 11.

1. Therae.

IG XII 3 suppl. 1399. „Ante medium fere alterum a. Chr. n. saeculum."

Νικοπόλεια Πολυνίκου
τὰν τοῦ υἱοῦ Τεισάνορος τοῦ Κρίτου
θυγατέρα Πάνθειαν
θεοῖς.

Ceteri tituli omnes aetatis imperatoriae sunt; praeter tres (2, 1; 2, 3; 3) omnes in monumentis sepulcralibus extant.

2. Pergami.

1. *Ath. Mitt.* XXVII 93, 81. Ara parva.

Ἀγαθῇ τύχῃ[ι].
Θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις
Λ. Δομ. Πάνθεια.

2. *I. Perg.* II 576 B. 1. Panthea uxor medici erat.

χαῖρε γύναι Πάνθεια παρ' ἀνέρος . . .

3. *Ath. Mitt.* XXVII 92, 79. In tabula marmorea.

Ὁ δεῖνα
[καὶ Πάν]θεια
[Εἰληθ]ύηι.

3. Smyrnae.

Schol. ad Luciani *Ὑπὲρ τῶν εἰκόνων* 50 ed. Rabe Lipsiae 1906, 205.

Ὁ λόγος οὗτος ἀντιγραφὴ τοῦ εἰς Πάνθειαν τὴν Σμυρναίαν, γυναῖκα δὲ Οὐήρου τοῦ χρηστοῦ Καίσαρος (sc. L. Aurelii Veri 161—169 p. Chr.) *ἐπαίνου ἐστίν, ὃν καὶ Εἰκόνες ἐπέγραψεν· ἧς καὶ Μάρκος ὁ Καῖσαρ ἐν τοῖς εἰς ἑαυτὸν Ἠθικοῖς αὐτοῦ μέμνηται*, his enim verbis (VIII 37): *Μήτι νῦν παρακάθηται τῇ Οὐήρου σορῷ Πάνθεια;*

4. Olympi (Lyciae).

a) BCH XVI 214, 4.

v. 3. *Πανθείης.*

b) Ibid. 224, 71.

Αὐρήλιος Σωκράτης Ἑρμαίου Ὀλυμπηνὸς
ἑαυτῷ καὶ γυναικί μου Πανθείῃ καὶ τέκνοις.

5. Titulus Paphlagonicus.

BCH XXI 96, 8.

Φλαουῖα σοι Πάνθια Κοσσίνιος . . . Σωτιρίχος.

6. Larisae (Thessaliae).

IG IX 644.

Πάνθια Ὀλύμπῳ ἐκ τῶν ἰδίων
μνείας χάριν.

7. Misithrae (Lac.).

IG V 1, 799 = CIG 1505.

Πάνθη[α] χαῖρε,
Σώφρων χαῖρ[ε].

8. Cyparissiae (Mess.).

IG V 1, 1422.

Πανθία
χαῖρε.

9. Romae.

a) Cf. 3.

b) IG XIV 1927.

Παπείριος Ἑρμῆς Παπειρίᾳ Πανθείᾳ
συμβίῳ γλυκυτάτῃ.

c) Ibid. 1923. Aetatis recentis.

Ἐῆι δάμαρτι τεῦξε Πανθίᾳ τάφον . . .

d) Ibid. 2138, 5.

[ἄλοχ]ος Πάνθηα.

10. Carmone (Hispaniae).

CIL II suppl. 5421. Saec. II p. Chr.

D(is) M(anibus) S(acrum).
Panthe(a)
annor[um . . .]
h(ic) s(ita) est.

Has nominis formas traditas esse vidimus: *Πάνθεια* (apud Xenophontem et Hermippum, in titulis 1—3. Asiae, 9. Romae), *Πανθείη* (4. Olympi), *Πάνθηα* (7. Misithrae, 9. Romae), *Πάνθια* (5. Paphlag., 6. Thessal., 8. Mess., 9. Romae), Panthea (10. Hisp.).

Deest nomen virile *Πάνθειος*. Errare mihi quidem videtur E. Sittig [*De Graecorum nominibus theophoris*, Diss. Hall. XX (1911), 163] derivans ab universitate deorum etiam nomen *Πανθείδης-Πανθείδας*. Idem dicendum est de nominibus *Πανθίας, Πανθίων, Πάνθης, Πάνθοος, Πανθοίδης, Πάνθους*.

Solam muliebrem nominis formam ab opinione deorum omnium ductam esse verisimile est, id quod valde notabile est.

Hominum nomen proprium *Πανθείας*, quod interpretari licet *'δῶρον πάντων θεῶν'*[1]) aut 'traditam in tutelam *πάντων θεῶν*', discernendum est ab eodem divino cognomine pariter

[1]) Pandorae, primae mulieris, nomen Hesiodum constat ita interpretatum esse: *ὅτι πάντες Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες δῶρον ἐδώρησαν* (Op. 81). Cf. *Θεόδωρος, Ἰσίδωρος κτλ.*

atque virilis forma *Πάνθειος* (Latine Pantheus-Panthea) multis dis imposito, quod dicit deum sic appellatum *θεὸν πάντων θεῶν* esse i. e. numen vires omnium deorum in se comprehendens.[1]) Hoc ipsum summum deorum cognomen etiam hominibus post mortem consecratis datum esse docet Dio Cassius LIX 11.[2])

Nomen proprium Pantheae, si non iam a saeculo V medio, a saeculo IV ineunti in usu fuisse Xenophon, Hermippus Smyrnaeus, titulus Theraeus satis testantur, imperatorum autem aetate maxime floruisse et inde apparet, quod testimonia huius spatii adhuc nota terrarum multarum et inter se remotissimarum sunt, et inde, quod bis hoc idem nomen oppidum Olympus, ter vero Pergamum et Roma memoriae tradunt.

V. Donaria.

Antiquissima donaria: supra 5, 1 saec. V med. Naucrati *τοῖς θεοῖς τῶν Ἑλλήνων*, 9, 2 saec. V med. Selinunte — *καὶ τοὺς ἄλλους θεούς*, 6, 4 Olympiae saec. V med. *θεοῖς πᾶσιν καὶ θεαῖς πάσαις*, 6, 6 saec. IV med. Athenis *Νύμφαις καὶ θεοῖς πᾶσιν*.

Tituli Ponti Euxini.

1. Panticapaei.

Latyschev, Inscriptiones antiquae orae sept. Ponti Euxini II 35. Circa 280 a. Chr.

Regem Paerisaden tres fratres Rhodii
[θ]ε[ο]ῖς πᾶσι.

2. Neapoli (Scythiae).

Ibid. IV 192. 'Fragmen marmoris candidi. Titulus videtur esse dedicatorius saeculo II a. Chr. non recentior.'

. . . . . .
. . . βα]σιλεῖ /
Ἀχιλ]λεῖ καὶ θεοῖς
πᾶσι]ν

[1]) et [2]) De hoc cognomine infra disputabitur.

3. Olbiae.

Ibid. I 95 'Fragmen marm. albi; litterae saec. III a. Chr.'

Ὁ δεῖνα τοῦ δ. ὑπὲ]ρ τῆς
. . . . ἀνέθηκε θ]εοῖς πᾶ[σιν.

CIG II 2086. Statua: *θεοῖς*.

4. Mesembriae.

Ath. Mitt. IX 222, 7 = CIGII 2053 d (add. 995). Saec. II aut I a. Chr. n.; lapis supra et a sinistra parte fractus. Civitates pentapolis, cuius erant Mesembria, Odessus, Tomi, Istriopolis, Apollonia, statuam, ut videtur, viri ob merita iam saepius honorati dedicant

θεοῖς πᾶσιν.

5. Odessi.

CIG II 2056 g (add). Saec. I p.

Ὑπὲρ τῆς Αὐτοκράτορος Τιβερίου Καίσαρος — τύχης — ὁ δ. τὴν σχοινίαν (partem moenium) *— οἰ[κ]οδομήσας καὶ στεγάσας ἐκ τῶν ἰδίων*

θ]εοῖς πᾶσι κ[α]ὶ τῷ [δήμῳ].

6. Tomis.

ὁ δεῖνα ἐκ τῶν [ἰδίων κ]ατεσκεύασεν . . . .
[Διὶ] τῶι [μεγάλωι] καὶ Σαράπιδι καὶ Εἴσιδι καὶ [Ἀνού]βιδι καὶ θεοῖς πᾶσιν.

Tituli Asiae.

7. Cycici.

a) *Ath. Mitt.* VII 155. Saec. II ex. aut I in. a. Chr. n.; plebiscitum.

'Liceat Apollonio roganti collocare *τὸν πίνακα Κλειδίκης — ἐν τῷ ἱερῷ [τ]ῆς Μητρὸς τῆς Πλακιανῆς ἐν τῷ Παρθένῳ — καὶ ἐπιγράψαι —, ὅτι κοσμοφυλακήσαντες ἀνέθηκαν Ἀπο[λ]λώνιος καὶ οἱ δεῖνες* (novem nomina) *Κλειδίκην Ἀσκληπιάδου ἱερωμένην Μητρὸς Πλακιανῆς καὶ Κόρης καὶ Μητρὸς καὶ Ἀρτέμιδος Μουνυχίας [ἀ]ρετῆς ἕνεκεν καὶ εὐσεβείας*

θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις.

b) BCH XIV 535, 1. Saec. IV a. Chr. part. prioris; tit. dedic.

Θεοῖς.

8. Antandri.

Sitzungsberichte d. Berliner Acad. d. Wiss. 1894, 911. Inter annos 138—133 a. Chr. Parva columna marmoris.

Ὁ δεῖνα θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις
ὑπ[ὲρ βασιλέως] Ἀττάλου Φιλομήτορος
καὶ [Εὐεργέτου].

9. Pergami.

a) *Ath. Mitt.* XXVII, 93, 82. Basis quadrata reperta ad templum Cereris, in quo videtur stetisse. Litt. saec. I a. aut p. Chr. n.

Θεοῖς πᾶσι
Ἑρμίας.

b) Ibid. nr. 83. Aet. imp.; fragmentum columnae cum hoc titulo

Τοῖς θεοῖς καὶ τῇ πατρίδι
ὁ δεῖνα τὰ III (sic) διάστυλα σὺν τῷ περὶ αὐτὰ κόσμῳ
πρυτανεύων ἀφ[ιέ]ρωσε κτλ.

10. Erythris.

Jahreshefte des oesterr. arch. Instituts XIII (1910) *Beibl.* 46, 10. Basis marm., litt. saec. III a. Chr. n.

τὸν δεῖνα ὁ δεῖνα
θεοῖς πᾶσιν.

11. Prienes.

Inschr. Priene 198. Litt. saec. II a. Titulus ad Asclepieum inventus est.

Ὁ δεῖνα τὴν ἑαυτοῦ εἰκόνα
θεοῖς πᾶσι.

12. Mileti.

Ath. Mitt. V 335, 4. Circa saec. I a., statua.

Uxor et filius patrem χορηγήσαντα,
πάσας καὶ τὰς ἄλλας λητουργί[α]ς ἐπιτελέσαντα
θεοῖς πᾶσι.

13. Phoenice (Cariae).

a) BCH X 248 = Michel, Recueil 1197. Saec. III a.

Ὁ δεῖνα πρυτανεύσας καὶ ἱερεῖς καὶ ἱεροποιοὶ
θεοῖς πᾶσι.

Sequuntur 25 nomina, unum ἀρχιαστοῦ, tria sacerdotum (Minervae et Iovis, Veneris, Aesculapii), 21 ἱεροποιῶν.

b) Ἐφημ. ἀρχαιολ. 1913, 5. Saec. III a.

Ὁ δεῖνα πρυτανεύσας
θε[ο]ῖς πᾶσι.

c) Ibid. 4, 95. Saec. II a.

Ὁ δεῖνα πρυτανεύσας θεοῖς.

14. Arycandae (Cariae).

Le Bas-Wadd. 1322. Litt. saec. I aut II p. Chr.

Uxorem mortuam ὁ δεῖνα
[πᾶσ]ι θεοῖς.

14a. Iasi (Cariae).

BCH XV 547, 15. Litt. saec. I a. aut p. Chr. n.

Ἡ δεῖνα τοῦ δεῖνος τοῦ αὐτῆς υἱοῦ τὴν εἰκόνα
θεοῖς πᾶσιν.

15. Aphrodisiade (Cariae).

BCH XXXII 500. Paulo infra titulum quendam saeculi p. Chr. n. II exeuntis, qui agit de dedicatione τοῦ νέου Παρθενῶνος Μητρὸς θεῶν ὀρείας, ad dextram hic legitur titulus dedicatorius statuae, ut videtur.

Πᾶσ[ι]
[θ]εοῖς.

„Ces mots sont les restes d'une inscription plus ancienne dont les lettres sont plus grandes et d'une type différente (sigma lunaire).“

16. Panamarae.

Tres tituli saeculi II vel potius III p. Chr. n.

a) BCH XXVIII 259, 82. Sacerdos Iovis Panamari tabulam dedicat

Διὶ Παναμά[ρῳ καὶ Ἥρ]αι
καὶ πᾶσι θεοῖς.

b) Ibid. 32, 14. Sacerdos Iovis eiusque uxor sacerdotio perfuncti tabulam dedicant

Διὶ Παναμάρῳ καὶ Ἥρᾳ καὶ Ἑκάτῃ καὶ
τοῖς ἄλλοις θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις χαριστήριον.

c) Ibid. XII 100, 18.

Ἱερεῖς ἐν Ἡραίοις κατὰ πενταετηρίδα
ἐξ ὑποσχέσ[ε]ως ὁ δεῖνα καὶ ἡ δεῖνα
Διὶ Παντημερίῳ καὶ Ἑρμεῖ (καὶ) Σωτίρῃ (i. e. Hecatae)
καὶ πᾶσιν θεοῖς καὶ πάσαις ἱερατεύσαντες
ἐπ' ἀξίας τῆς τοῦ γένους.

16a. Cye (Cariae).

BCH XI 306. Anni 52 p. Chr.

Τιβέριον Κλαύδιον Καίσαρα οἱ δεῖνες θεοῖς καὶ τῷ Κνειτῶν δήμῳ.

16b. Megistae (Lyciae).

Le Bas-Waddington III 1, 1269. Aet. imp.

Τιμοθέ[ου] τοῦτο τὸ μνῆμα. Ἡ δεῖνα sacerdos *Δι[ὸς Μ]εγ[ι]στέω[ς καὶ] τοῦ Δαίμονος [Διὶ] καὶ θεοῖς.*

17. Erizae (Phryg.-Cabaliae).

BCH XV 556 = OGIS 238. Saec. III a. Chr.

Οἱ ἐν τῇι περὶ Ἔριζαν ὑπαρχίαι φυλακῖται καὶ οἱ κατοικοῦντες ἐν Μοξουπόλει καὶ Κριθίνῃ τὸν δεῖνα τὸν ἐπὶ τῶν προσόδων διὰ τὴν πρὸς α[ὐτοὺς εὔ]νοιαν θε[οῖ]ς [π]ᾶσιν.

18. Sanai (Phrygiae).

BCH III 479. Aetat. imp.

Ὁ δ. Διὶ καὶ Ποσειδῶνι καὶ Ἀθηνᾶι καὶ πᾶσιν θεοῖς εὐχαριστή(θη)ριον (sic) *καὶ ποταμῶι [Ε]ὐπόρωι κινδυνεύ[σ]ας καὶ διασωθεὶς [ἐ]ν τῷδε τῷ τόπῳ.*

19. Cypri.

BCH III 172, 23. Litt. saec. I a. Chr.

Τὸν δεῖνα Χῖον ἡγεμόνα ἐπ' ἀνδρῶν
θεοῖς πᾶσι.

Tituli Aegypti.

20. Alexandriae.

a) Callimachus, ed. Schneider (1873) II 157 fragm. 34 = schol. ad Arat. 146 = Catullus LXVI 9. Regina Berenica anno 246 a. Chr. n. pro reditu coniugis ad bellum profecti dedicat cirrum in templum omnium deorum:

βόστρυχον, ὅντ' ἄρα κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖσιν.

b) *Ath. Mitt.* XIX 229 s. = OGIS 131. Stela calcaria, a. 129 a. Chr.

Ὑπὲρ βασιλέως Πτολεμαίου . . . ὁ δεῖνα ὁ ἀπεστα[λ]μένος . . . ἐπὶ τὴν συνα[γω]γὴν τῆς πολυτελοῦς λιθείας καὶ ἐπὶ τῶν πλῶν καὶ παρεξάμενος τὴν ἀσφάλειαν το[ῖς] κατακομίζουσι ἀπὸ τοῦ κατὰ Κόπτον ὄρου[ς] τὰ λιβανωτικὰ καὶ τὰ ἄλλα ξένια Παν̣ὶ Εὐόδωι καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις.

c) CIG III 4683. „Titulus inter annos 180—183 p. Chr. positus est".

Διὶ Ἡλίῳ μεγάλῳ Σαράπιδι [τῷ] ἐν Κανώβῳ καὶ πᾶσι τοῖς θεοῖς ἀνέθηκ(α)ν οἱ δεῖνες τῶν ἐξ Ἀντινόου ἱερο[ποι]ῶν κτλ.

21.

CIG III 4716 d[45] (add.). „In valle Foäkhir, ubi imprimis lapicidinae exercebantur antiquitus", in rupe; aet. imp.

Ὁ δεῖνα εὐχαριστῶν τῷ τόπῳ
παρὰ πᾶσι θε[οῖ]ς.

Tituli insularum maris Aegaei.

22. Rhodi.

a) Rhodi in urbe. IG XII 1, 20. „Magnus lapis marm. nigrantis litteris valde detritis tertio saeculo a. Chr. non posterioribus."

Ἀθά]ναι Νίκ[αι καὶ τ]οῖς ἄλλοις θεοῖς πᾶσι

(reliqua nimis mutilata; fortasse *ὁ δεῖνα τὸν πατέ[ρα;]*.

b) Neomarae. IG XII 1, 34. Basis rotunda; litt. saec. II a.

Pater statuam filii
θεοῖς πᾶσι.

c) Statuae Rhodiae cum titulo: θεοῖς.

Rhodi in urbe triginta fere: Ibid. 40 (saec. III a.), 42 (saec. I a.), 43—49. 52. 53. 59 (s. I p. Chr.), 61. 65. 66 (s. I a.), 70—72 a. 86. 93. 101. 104. 107. 108. 110—114. 116.

Lindi decem fere: 814. 18. 32. 34. 36. 38. 51. 63. Insignis 36: *ὁ δ. ἱερατεύσας θεοῦ Ἀπόλλωνος Πυθίου κτλ. θεῷ θεοῖς.*

Camiri: Ibid. 700. 705.

Thyssanunti, Peraeae Rhodiorum. *Ἐφημ. ἀρχαιολ.* 1911, 62. Statuae imperatoris et imperatricis θεοῖς.

23. Teutlussae (ad Rhodum).

IG XII 3, 28. Litt. saec. I a.—I p., columna.

Ἡ δεῖνα τοῦ δεῖνος
θεοῖς ἀθανάτοις [π]ᾶσι.

23 a. Sari.

IG XII 1, 1040. Saec. II a. Chr., in basi oblonga.

Ἁ δεῖνα vel *ὁ δεῖνα ὑπὲρ τᾶς μ[ατρὸς]*
[θε]οῖς π[ᾶσι].

24. Teli.

a) IG XII 3, 41. Basis lap. nigr., litt. saec. III aut II in. a. Chr.

Ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος
θεοῖς πᾶσιν.

b) nr. 42. *Ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος*
θεοῖς πᾶσιν.

c) nr. 44. *Ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος*
θεοῖς πᾶσιν.

25. Cnidi.

Le Bas-Wadd. 511. Saec. I a. Chr., basis.

Σαράπι[δι], Ἶσι[δι], θεοῖς πᾶσι
θεραπευθεὶς Ἀπολλωνίδας Ἀλεξανδρεὺς χαριστεῖα.

26. Coi.

Desunt adhuc donaria cum titulo *θεοῖς πᾶσι*. Titulum *θεοῖς* praebent sex donaria.

Paton-Hicks, *Inscript. of Cos* 65. 66. 67. 81 *(ὁ δᾶμος ὑπὲρ τᾶς Αὐτοκράτορος σωτηρίας θεοῖς ἱλαστήριον)*. 124 (statua).

27. Chii.

a) BCH III 325, 12. Litt. saec. II a. Chr. part. prior. *'Pierre noirâtre, au dessous de l'inscription une guirlande de feuilles d'olivier.'* Ara?

Θεῶν πάντων καὶ πασῶν.

b) CIG II 2225. Titulus saec. I a. Chr.

Ἡ δεῖνα τὸν πατέρα
[θεοῖς] πᾶσιν.

c) CIG II 2215. Anni 48 a. Chr.

Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος Γαΐον Ἰούλιον . . . Καίσαρα . . . τὸν πάτρωνα τῆς πόλεως ἀρετῆς ἕνεκεν
θεοῖς.

28. Thasi.

a) IG XII 8, 374. Fragmenta duo tabulae marmoris albi; litt. aet. imp.

[Ὁ δεῖνα] σὺν τῇ γυναικὶ Ζωσίμῃ
. . . θε]οῖς πᾶσι καὶ τῇ πόλει ἐκ
τῶ[ν ἰδίων].

Pantheum hoc titulo tradi, id quod Wilamowitzius existimat, credi non potest.

b) BCH 45, 161. *'Base de marbre blanc, trouvée dans une des chambres N.-O. du second Prytanée. La face supérieure supportait une plinthe de statuette'.* Saec. I a. Chr.

Ἀγορανομούντων τῶν δείνων
θεοῖς πᾶσι
ἐπιστάται οἱ δεῖνες, μνήμονες οἱ δεῖνες, γραμματεὺς ὁ δεῖνα.

c) Alios titulos extare colligo ex *Comptes-rendus de l'Académie des Inscriptions* 1914, 288, ubi:

'Les découvertes d'inscriptions sont plus intéressantes: dédicaces aux θεοῖς πᾶσι.

Cf. ibid. 290.

29. Nisyri (ad Coum).

a) IG XII 3, 98. Litt. saec. I a. Stela superne cymatio ornata, valde mutila.

v. 1. .... *νς τοῖς θεοῖς [πᾶσιν*
v. 2. ... *ἱδρύσατο αὐτ* ...
v. 3. *[πάντας] τοὺς ἐν Ὀλύμ[πωι θεοὺς καὶ θεὰς δ]ιατί[θ]ημι ταύ[ταν ἔχειν τ]ὰν γᾶν τὰν ἐγ* ...
v. 6. *τ]ὰς πύλας κα[ὶ* ...
v. 7. *ἵνα*(?) *θυ[σ]ίαις* ...
v. 9. incerta, *ταὶ [δ]ιαθῆκα[ι*(?)
v. 10. *τὸ δαμό[σιον* sive nomen in — *τοδαμο* v. 12. *-ποδε-*.

Agi videtur de testamento, quo *θεοῖς πᾶσι* agri cum aedificiis donantur, quorum fructus sacrificiis (omnibus dis faciendis?) destinantur.

Versus 1—3 nomen dedicatoris et dedicationem stelae praebet.

b) *Ἐφημ. ἀρχαιολ.* 1913, 8, 4. Saec. II a.

Ὁ δεῖνα τὸν ἀδελφὸν ...
θεοῖς πᾶσι.

c) Ibid. 9, 10. Saec. I a.

Ὁ δεῖνα τὸν ἀδελφὸν ... *θεοῖς.*

p. 12, 23. *Τὸν δεῖνα οἱ δεῖνες θεοῖς.*

30. Therae.

a) IG XII 3. Saec. III a. Chr. Basis statuae reperta in fano deorum Aegyptiacorum.

Ὁ δεῖνα τὸν υἱὸν
Σάραπι καὶ Ἶσι καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς.

b) *θεοῖς* 23 tituli.

IG XII 3 saec. II a. 485. 487. suppl. addenda 1399; saec. II: 486. 488—92, suppl. addenda 1398; saec. I 514. 18; aet. imp.: 506. 7. 15. 20. 21, suppl. addenda 1400.

31. Meli.

θεοῖς

IG XII 3, 1108 *ὁ δᾶμος* imperatricem Agrippinam; cf. 1115 a.

32. Sicini.

IG XII 5, 28. Saec. III fere a. Chr.

Ἡ δεῖνα τὸν ἀδελφὸν
θεοῖς.

32 a. Pari.

IG XII 5, 529. Epistylium sive cymatium; saec. II fere a. Chr.

... *πᾶσι]ν θεοῖς καὶ ἀνθρώποις χαριστήριον.*

33. Deli.

a) IG XI 4, 1128 = SIG I³ 455. ‚Lapis inventus Deli meridiem et occidentem versus a templo Apollinis.' Statua praefecti classis Rhodiorum, qui classe Ptolemai Euergetae anno 244 fere victa principatum insulanorum obtinuerant.

Τὸ κοινὸν τῶν νησιωτῶν τὸν δεῖνα Ῥόδιον
θεοῖς [π]ᾶσι.

b) Permulta donaria — omnes fere statuae — partim *θεοῖς* (15), partim *τοῖς θεοῖς* (8) dicatae maximam partem saeculi II a. Chr. Et qui dedicant et quorum statuae dedicantur, civitatum diversarum sunt.

1. *θεοῖς* BCH II 398, 4 *Ὁ δᾶμος ὁ Θηραίων τὸν δεῖνα τῶν βασιλέως Πτολεμαίου .. πράτων φίλων.* Ibid. 400, 8 *Βασιλέα Μάνασσαν ὁ δεῖνα Ῥόδιος.* OGIS 353 *Βασιλέα Ἀριαράθην .. ὁ ἱερεὺς Ἡλιάναξ .. Ἀθηναῖος.* Idem sacerdos dedicat a. fere 110 quattuor summorum magistratuum regis Mithridatis statuas ibid. 371—74. BCH 1907, 441, 32 in columna: *οἱ δεῖνες* (10 nomina) *κομπεταλιασταὶ γενόμενοι θεοῖς ἀνέθηκαν.* Ibid. IV 212 s., 7. 13. Ibid. 1905, 237, 94 duae statuae sacerdotum Apollinis. VI 332, 27 *ὁ δεῖνα Ἀλεξανδρεὺς τὴν γυναῖκα.* Ibid. 1908, 434, 51 *οἱ δεῖνες τὸν υἱόν.*

2. *τοῖς θεοῖς.* Ibid. 1904, 149, 46 saec. III part. prior. a. Chr. *ὁ δεῖνα τὴν μητέρα,* IV (1880), 212 s. (ante a. 167 a. Chr.), 2. 3. 5. 6. VI (1882), 333, 29. Ibid. 1905, 237, 108. Coll.-Bechtel 5391 saec. II a.

34. Cei.

IG XII 5, 1097. Carthaeae. „Fragmenta quinque, inventa infra Apollinis fanum;" inter annos 166—69 p. Chr. n.

Pro salute imperatorum M. Aureli et L. Aureli summus sacerdos imperatorum *Ἀπόλλωνι Πυθίῳ καὶ πᾶσιν θεοῖς ... τόνδε τὸν οἶκον, ὅσα τε ἐν αὐτῷ, καὶ τὸν παρὰ τῶι χώ[ματι τοῖχον] κατασκευάσας ἀνέθηκε Καρθία τῇ πατρίδι κτλ.*

Tituli Graeciae.

35. Athenis.

a) IG II 3, 1171 Titulus „in arce repertus, aetate Augusti certe non multo antiquior".

Ὁ δῆμος ὁ Χίων τὸν δεῖνα
Ἀθηνᾷ Πολιάδι καὶ θεοῖς πᾶσι.

b) CIA III 1, 181 c „Parva basis rotunda .. inventum ad Asclepieum"; saec. fere II p. Chr. n.

Ἀσκληπιῷ καὶ Ὑγείᾳ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις κατὰ ὄνειρον ὁ δεῖνα.

36. Mantineae.

IG V 2, 293 = SIG II³ 600. Stela marmorea inventa prope forum, in quo videtur posita fuisse, consecrata anno 193/2 a. Chr. n. a Mantinensium militibus, qui bello cum Nabi gesto interfuerant.

Ἐπὶ στραταγοῦ τῶν Ἀχαιῶν Φιλοποιμένος τὸ τέταρτον ...
οἱ στρατευσάμενοι καὶ εἰσενέν[κ]αντες εἰς τὸ ἀνάθεμα
θεοῖς πᾶσι.

Sequuntur permulta nomina.

37. Megalopoli.

IG V 2, 449. „Basis in duas partes fracta; litt. saec. II a. Chr., si non III exeuntis."

ὁ δεῖνα Ἀσκληπιῶι Ὑγιείαι
[θ]εοῖς [π]ᾶσι κ[αὶ] πάσαις.

38. Tegeae.

IG V 2, 125. 'Tegeae in museo, olim ad fori porticum.' Titulus Traiani aut Hadriani aetatis est quo agitur de *ἀγορανόμων* aede publica ac ponderibus publicis in ea servatis.

Ὁ δεῖνα ἀγορανομήσας ἀνέθηκεν π[άντων θε]ῶν τὸν οἶκον καὶ τὰ ἐν αὐτῷ σταθμὰ χαλκᾶ κτλ.

39. Pharsali.

IG IX 2, 243. Titulus aetat. imp. esse videtur.

Ὁ δεῖνα προστάτης τῆς πόλεως
τὴν στοὰν [καὶ τὸ σι]τοβόλ[ε]ιον
[τοῖς aut πᾶσι θ]εοῖς κα[ὶ τῆ]ι πό[λει].

Tituli Siciliae.

40. Syracusis.

IG XIV 2 = SIG I³ 427. Basis marmorea, quae olim videtur stetisse in foro inter portum maiorem et minorem sito. Titulus initiorum regis Hieronis (270—216 a. Chr.) est.

Βασιλέος ἀγε[ομένου
Ἱέρωνος Ἱεροκλέος
Συρακόσιοι θεοῖς πᾶσι.

41. Halaesae.

a) Ibid. 355. „Statua Heraclei, ducentorum in monte Eryce militum tribuni, in Halaesinorum civitate collocata", Litt. saec. I fere a. Chr.

Θεοῖς πᾶσι
οἱ στρατ[ευσ]άμενοι ἐν Ἔ[ρυκ]ι ... Ἡράκλεον ....
χιλιαρχήσαν[τα] ἐν Ἔρυκι [ἀρετᾶς ἕν]εκεν.

b) Ibid. 353. Titulum propter litterae ω formam ◇ aetatis imp. esse putaverim.

Θεοῖς πᾶσι
δ] δᾶμος τῶν Ἀλαισίνων τὸν δεῖνα.

c) Ibid. 354. Statua eiusdem, ut probabilissimum est, viri atque in b.

[Θεοῖς πᾶσι]
[ὁ δᾶμος τῶν Ἀλαισίνων]
[τὸν πρῶτον vel ἄριστον; γενόμε]νον τῶν ἱερέων
τὸν δεῖνα.

42. Haluntii.

a) IG XIV 359. Litt. saec. I a. aut p. Chr.

Ὁ δᾶμος τὸν δεῖνα εὐεργεσίας ἕνεκεν
θεοῖς πᾶσι.

b) IG XIV 360 *Τὴν δεῖνα θεοῖς.*

43. Rhegii.

Ibid. 613. Basis marmorea reperta Rhegii. Statua eiusdem viri atque in 42 a cum eodem titulo.

Reliqua donaria cum titulis *θεοῖς* — *τοῖς θεοῖς*.

Praeter titulos iam allatos (7b Cycici, 9b Pergami, 16a Cye, 16b Megistae, 22c Rhodi, 26c Coi, 27c Chii, 30b Therae, 31 Meli, 32 Sicini, 33 Deli, 42b Halinuntii) alios, qui ad Graeciam ipsam imprimis pertinent, breviter hic componere liceat.

Olbiae Sarmatiae CIG II 2086.

Philippis BCH V 1881, 465, 4. 5. 6, saec. II a.

Hypatae IG IX 2, 36. 59. Ceterae Graeciae septentrionalis IG IX 1, 142. 143. 283. 415.

Graeciae mediae:

Opunte, *Ἐφημ. ἀρχαιολ.* 1905, sp. 81, saec. II a. Opuntii et Locri ducem Aetolorum *τοῖς θεοῖς*.

Euboeae, ibid. 1907, 14, 5. BCH XVI 106, 8.

CIG II 2151b (add.) *τοῖς θεοῖς*.

Megaride IG VII 60. 61. 193. 194.

Boeotiae IG VII 552. 58. 64. 70. 72; 1739; 1807. 08. 31. 32. 33. 34. 41. 61. 63; 2229; 2471. 72. 73. 78. 88. 89; 2516. 17. 2712. 13. 95; 2837; 3224; 3422. 28; 4161. 66. 77; 4247 (= triginta sex). Antiquissimus est titulus BCH VIII 40 *ὁ δεῖνα καὶ ἡ δεῖνα [τοῖς] θεοῖς ἀνεθέταν*, qui titulus saeculi a. Chr. n. V est.

Peloponnesi:

Dymis BCH IV 520, 1 saec. III a.; ibid. II, 99, 5.

Patris CIG I 4, 1545.

Spartae IG V 1, 247. 626. 627.

Lycosurae ibid. V 2, 539. (In pronao templi Despoenae basis saec. II a. ex. *Οἱ δεῖνες τὸν δεῖνα θε[οῖς]*.

Mantineae IG V 2, 309 s. I a. *ἁ πόλις τῶν Ἀντιγονέων τοὺς δεῖνας θεοῖς*.

Olympiae: *Inschr. v. Olympia* 328. Anni 90 a. Chr. 'Foedus Achaeorum *τὸν δεῖνα θεοῖς*.' Ibid. 561. Tabula marmorea saec. I a. aut p. Chr. *Διὶ Ὀλυμπίῳ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς*.

Corcyrae: 9 tituli saeculi II a—II p. Chr. IG IX 708—10. 22. 24. 27. 28. 33. 34.

Neapoli IG XIV 724. 25. 40. 45.

Donariorum plus quinquaginta, quae titulum *θεοῖς πᾶσιν* praebent, maior pars dis omnibus solis, reliqua pars certis dis et omnibus dedicata est. Utrumque donariorum genus a

saeculo III a. Chr. n. apud omnes Graecos pervulgatum fuisse testimonia satis docent.

Posita erant donaria ea, quae omnes deos consociatos habent uni aut compluribus dis, in templo huius ipsius dei aut horum deorum. Etiam nonnulla donariorum omnibus dis solis consecratorum collocata erant in templis certorum numinum: nr. 7, ut titulus ipse dicit, *ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Μητρὸς τῆς Πλακιανῆς ἐν τῷ Παρθένῳ*, tria alia in iis templis, quorum in propinquitate inventa sunt: nr. 11 in templo Aesculapii, nr. 9 in templo Cereris, nr. 33 in templo Apollinis; in templo autem omnium deorum unum donum positum fuisse, cirrum Berenicae, infra videbimus (p. 80 s.); in foro duo monumenta publice exstructa stetisse (36. 40) verisimile est; de plurimorum donariorum locis nihil iam dici potest.

Res consecratae maximam ad partem statuae sunt et hominum privatorum et regum, ducum, praefectorum, sacerdotum, hominum de re publica bene meritorum, exstructae et privatim et publice; deinde tabellae, stelae, alia monumenta; tum varia aedificia (5. 6. 28. 34. 38. 39), quorum pars a privatis constituta et civitati donata erat *(θεοῖς πᾶσι καὶ τῷ δήμῳ)*; singularis denique cirrus Berenicae est. Inter dedicantes civitates comparent et societates, Aegypti regina, magistratus ac sacerdotes, milites, homines privati. Causae donaria consecrandi non minus variae sunt. Nonnulla donaria posita sunt propter victorias, alia propter vitam servatam, valetudinem recuperatam aut recuperandam, propter sacerdotia aliaque munera feliciter administrata, ob varia in rem publicam merita, pleraque incertis de causis.

Quod de donariis *θεοῖς πᾶσι* dedicatis, idem fere dici potest de maiore, ut videtur, numero eorum, quae titulos *θεοῖς* sive *τοῖς θεοῖς* prae se ferunt. Duo — alterum Selinuntis, alterum Boeotiae — saeculi a. Chr. n. V, unum saeculi III, plurimi posteriorum saeculorum sunt. Reperta sunt in terris diversissimis. Eminent Rhodus, ubi quadraginta, Cos, ubi sex, Thera, ubi viginti, Delus, ubi quindecim *θεοῖς*, octo *τοῖς θεοῖς*, Boeotia, ubi plus triginta, Neapolis, ubi quattuor, Corcyra, ubi novem adhuc extant. Olympiae contra, Delphis, Dodonae aut plurima aut omnia donaria Iovi aut Apollini soli videntur dedicata esse. In Attica quoque adhuc donaria cum titulo *θεοῖς* reperta esse non videntur.

VI. Arae.

1. Pergami.

a) *IPerg.* 131 = OGIS 306. Ara rotunda marmoris albi (alt. 1,06 m, diam. 1,16 m) in duas partes fracta, reperta in arce ad templum Traiani, exstructa, ut titulus docet, a rege Eumene II (197—159 a. Chr. n.), ornata sertis diversissimarum frugum ac florum et capitibus quattuor animalium (bucraniis). Vide accuratam descriptionem *Altertümer v. Perg.* VII 337, imaginem phototypicam ibid. tab. XLI. Infra ornamentum titulus:

Β[ασιλεὺς] Εὐμένης
θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις.

b) *Ath. Mitt.* XXIV 168. Ara parva (alt. 0,41, lat. 0,32, crass. 0,08), reperta ad arcem; litt. saec. II a. partis poster.

Διὶ μεγίστωι[1])
καὶ θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις.

c) Ibid. XXVII 93, 81. Ara parva (alt. 0,27, lat. 0,09, cr. 0,075) aetatis imp., reperta ad viam, quae in arcem ascendit.

Ἀγαθῆι τύχη[ι]
Θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις
Λ. Δομ. Πάνθεια.

d) Ibid. XXXVII 284, 9. Fragmentum in delubro Iunonis repertum. Litt. (0,015 alt.) aet. imp.

[Θεοῖς] πᾶσι καὶ π[άσαις].

e) Ibid. 287, 16. Ara parva (lat. infra 0,60, supra 0,56) reperta in delubro Cereris ante scalas theatri in situ. Litt. saec. II p. Chr.

Θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις
Μαρτιάλιος μύστης ἐπὶ βωμῶν καὶ Τυλλία ὑμνηστρία ἡ θυγάτηρ.

f) Ibid. XXXV 454, 38. Ara marm. albi (alt. 0,76, cr. 0,34) reperta in delubro Cereris; litt. saec. II p. Chr.

Τῶι Πανθείωι
τὸν βωμὸν
Μ. Αὐρ. Μηνογένης | ὁ ἱεροφάντης | καὶ πρύτανις.

[1]) Cf. *I. Perg.* 328 *Διὶ μεγίστωι*, 327 *Δ. μ. σωτῆρι*, *Ath. M.* XXXII 314, 37 *ἱερεὺς τοῦ Δ. μ.*

Praeter has duas aras in Cereris delubro arae permultorum ac diversissimorum numinum extant. Vide *Ath. Mitt.* l. l. 27. 35. 36.

2. Mileti.

Abhandlg. der Berliner Acad. d. Wiss. 1911, 63 s., 1. *„Gefunden an der Südostecke des Tempels“* (scil. Apollinis Didymei). *Altarförmige Basis. Buchstabenformen* II—III saec. p. Chr. (Th. Wiegand).

[Ἀ]γαθῆ τύχη.
Ὁ προφήτης σου Λαμιανὸς ἐρωτᾷ· ἐπὶ (= ἐπεὶ) ἐν τῶ ἱερῶ σου καὶ πανθέω περιβωμισμῶ οὐδέπω ὁρᾶ ἱδρυμένον βωμὸν τῆς ἁγιωτάτης σου ἀδελφῆς, ... δῖται σοῦ, δέσποτα Λιδυμεῦ Ἥλιε Ἄπολλον, θεσπίσαι αὐτῶ παρὰ τὸν τῆς καρποφόρου Δήμητρος βωμὸν ἱδρύσασθαι βωμὸν τῆς παιδὸς αὐτῆς.

Paulo infra: *ἐπέτρευας* (sic) *αὐτῶ ἐν τῶ ἱερῶ σου περιβωμισμῶ ἱδρύσασθαι βωμόν κτλ.*

Περιβωμισμός haud dubie intellegendus est totus fani locus, qui Apollinis arae circumiacet; *πάνθεος π.* igitur hic dicit Apollinem in suo fano *θεοῖς πᾶσι* dedisse *‘τιμὴν περιβωμίδα,’* honorem *θεῶν ἐντεμενίων*[1]) i. e. concessisse, ut arae quotcumque deorum circa suam ipsius ponerentur. Inter quas aras etiam sive unam sive plures *πάντων θεῶν* aras communes fuisse ad exemplum aliorum templorum (cf. tit. 1 e. f., 8. 9. 10) summa cum probabilitate opinari licet. Cf. O. Weinreich, *Arch. für Rel.* XVII 524.

3. Notii.

Le Bas-Wadd. II 1564. *„Sur un autel oné de sculptures.“* Aetat. ignotae.

Ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος
Κυ[λ]ληνίῳ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς εὐχήν.

4. Cnidi.

Newton, *Discov. at Hal. Cnid. and Branch.* II 755, 40 pl. 92. Aetat. ign.

[1]) Cf. SIG III[3] 1037 Decretum saec. a. Chr. n. IV aut III [*Ἀπόλλωνος* — hoc nomen in fine tituli] *καὶ τῶν ἄλλων θεῶν τῶν [ἐντ]εμενίων, ὅσων ἱερᾶται ὁ ἱέρεως, λάψεται τὰ γέρεα κτλ.*

θεοῖς ἀθα]νάτοις
ἀνατε]θέντα;
δ]αμιουργὸς Ἀρ-
]κρα ζ ἱδρύσατο
βωμόν.

In parte aversa minoribus litteris: *Διὸς μεγ[ίστου].*

5. Taposiri (Aegypti).

Revue arch. X 214 = OGIS 97. Basis marmorea paulo post annum 193 a. Chr. n. posita.

Ὑπὲρ βασιλέως Πτολεμαίου καὶ βασιλίσσης Κλεοπάτρας θεῶν Ἐπιφανῶν καὶ Εὐχαρίστων Ὀσόρῳ τε καὶ Σαράπιδι καὶ Ἴσιδι καὶ Ἀνούβιδι, θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις τὸν βωμὸν καὶ τὰς περσέας Σπάρις καὶ οἱ κωμεγέται καὶ οἱ θιασεῖται.

6. Therae.

IG XII 3, 466 = OGIS 102. Inter annos 181—146 a. Chr.

Ὑπὲρ τοῦ δ. Ἀλεξανδρέως τῶν διαδόχων, το[ῦ τε]ταγμένου ἐπὶ Θήρας βασιλεῖ Πτολεμα[ίωι κα]ὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς[1]) τὸ[ν βω]μὸν . . . ὁ δ. γραμμα[τεύ]ς κτλ.

7. Chii.

a) Ἀθηνᾶ XX, 226 nr. λβ'. Ἐπὶ μαρμάρου λευκοῦ. ἐκομίσθη . . . ἐκ τοῦ φρουρίου. ὕψ. 0,23, πλ. 0,35. Titulus videtur esse saec. II a. Chr., si qui aram dedicavit idem est atque in CIG 2214 v. 28.

. . ον Θεόδο[τος
Θε;]οδότου ὁ νεώτε[ρος
βω]μὸν θεοῖς πᾶσι.

b) BCH III 325, 12. Lapis niger, ara aut donarium. Vide supra 41, 27.

8. Epidauri.

Tituli qui sequuntur Epidaurii in celeberrimo Asclepieo inventi eodem ornantur „symbolo, quod constat e punctis duodecim circulo circumdatis et manifesto respicit deorum

[1]) τ. ἄλλ. θ. mihi non solum ad reges mortuos et consecratos, sed etiam ad omnes universos deos videtur spectare.

duodecim conventus". Idem symbolum praebent duae arae cum titulo *Παν̣θείῳ*, quod nomen, cum articulus desit (cf. tit. Pergamenum 1 f.), non interpretor '*θεοῖς πᾶσιν*', ut Blinkenbergius, sed cum Usenero et Fraenkelio 'deo Pantheo', idem etiam habet ara *Δυοκαίδεκα θεῶν*, praeter quod in circulo medio insculptus est circulus minor.

In Asclepieo ad septuaginta diversissimorum numinum arae effossae sunt; aetate vero imperatoria „aras non minus ducentas et viginti unam fuisse in sacro luco" e numeris, quibus arae „circa annum p. Chr. 306" instructae sunt, cognoscitur.

a) IG IV 995. Lapis quadrangulus (ara) anno 166 p. Chr. consecratus.

Πᾶσι καὶ πάσαις
Εὔπορος ἱεραπολήσας τὸ γ' καὶ μ' ἔτος.
ιγ' [symbolum].

b) Ibid. 1302. Basis marm. fracta supra et ad sinistram. Saec. fere I a. aut p. Chr. litt.

[Θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις aut Παν̣θείῳ][1])
Σ]τρατωνίκη τοῦ δεῖνος
Ἀ]μύντας Δημητρίου Ἐπι-
δα[ύριος. [symbolum]

c) Ibid. 1001. Ara marm. quadrata a. 297 p. Chr. posita. Titulus praeter symbolum omnium deorum symbola Iovis et Solis praebet.

Ζ]ηνὶ καὶ Ἡλίῳ καὶ πᾶσιν ἀειγενέεσσιν
ὀ]λβοδόταις καὶ ἐλευθερίοις καὶ λυσιπόνοισιν
ἱεροφάντης εἶσ' ὁσίῃ θεοπείθεϊ γαίων
Διογένης Δηοῦς πρόπολος, Παιήονος ἱρεύς.
ροδ' ἔτει ἱεραπολήσας.
λδ'

d) Ibid. 1002. „Monumenti 1001 accurata iteratio, quae tamen ut probat discrepantia numerorum circulis signatis adscriptorum remota ab illo collocata erat. Coniceris lapidem alterum in Iovis sacro positum fuisse, alterum in Apollinis-Solis."

e) IG IV 1², 129—131. Hymnus in parte priore valde mutilatus. „Tabula lapidis nigri, in duas partes fracta".

[1]) „De numine constat e signo circuli".

Singulis hymnis invocantur Omnes Di (129), Pan (130), Mater deorum (131). 129 col. I.

[Θεοῖς πᾶσι]
[lacuna]
[. . . . . π]υρὶ μηλ . . . α
. . . . . νι Διὸς μεγίστου
. . . . . νον Βρόμιόν τε χορευτάν
. . . . . ἠδ' Ἀσκλαπιὸν ὑψι[β]ίαν ἄνα[κτα]
[δισσ]ούς τε καλεῖτε Διοσκούρους | σεμνάς τε
[Χ]άριτας εὐκλεεῖς τε Μοίσας | εὐμενεῖς τε
[Μοίρας | Ἥλιόν τ' ἀκάμαντα Σελήνην τε
πλ[ή]θουσαν· | ἐν δὲ τὰ τείρεα πάντα, τά τ οὐρανὸς
[ἐ]στεφάνωται. | χαίρετε ἀθάνατοι πάντες θεοὶ
αἰὲν ἐόντες | ἀθάναταί τε θεαί καὶ σῴζετε
τόνδ' Ἐπιδαύρου | ναὸν ἐν εὐνομίαι πολυάνορι
Ἑλλάνων | ἱεροκαλλίνεικοι εὐμενεῖ σὺν Ὄλβῳ.

9. Lycosurae.

Paus. VIII 37, 10.

ὑπὲρ δὲ τὸ ἄλσος (sc. *τοῦ Δεσποίνης ἱεροῦ*) *καὶ Ἱππίου Ποσειδῶνος ἅτε πατρὸς τῆς Δεσποίνης καὶ θεῶν ἄλλων εἰσὶ βωμοί· τῷ τελευταίῳ δὲ ἐπίγραμμά ἐστι θεοῖς αὐτὸν τοῖς πᾶσιν εἶναι κοινόν.*

10. Olympiae.

a) Paus. V 14, 8. Intra Iovis Olympii lucum sacrum saeculo II p. Chr. septuaginta fere numinum Graecorum aras stetisse Pausanias tradidit.

εἰσὶ δὲ καὶ θεῶν πάντων βωμοὶ[1]) *καὶ Ἥρας ἐπίκλησιν Ὀλυμπίας.*

b) Paus. V 15, 1.

ἔστι δὲ οἴκημα ἐκτὸς τῆς Ἄλτεως, καλεῖται δὲ ἐργαστήριον Φειδίου . . . ἔστιν οὖν βωμὸς ἐν τῷ οἰκήματι θεοῖς πᾶσιν ἐν κοινῷ.

[1]) Interpretor *θ. π. βωμὸς καὶ Ἥρας βωμός*, de una enim ara scriptor mentionem facit V 15, 10: *ἑκάστου δὲ ἅπαξ τοῦ μηνὸς θύουσιν ἐπὶ πάντων Ἠλεῖοι τῶν κατειλεγμένων βωμῶν· . . . μόναις δὲ ταῖς Νύμφαις οὐ νομίζουσι οἶνον οὐδὲ ταῖς Δεσποίναις σπένδειν οὐδὲ ἐπὶ τῷ βωμῷ τῷ κοινῷ πάντων θεῶν.*

11. Palaepoli (Corcyrae).

IG IX 719. *'L'inscription remonte, selon M. Romano, au III^e siècle av. J.-C.'* At litteratura, imprimis litterae ε forma uncialis, aetatem multo recentiorem, saeculum potius I—II p. Chr., mihi quidem videntur indicare.

Ἰαρὸς πάντων θεῶν
ὅδε βωμός.

12. Athenis.

Athenis aram quandam stetisse, cuius titulus universitatem deorum unice complectitur, duo scriptores ecclesiastici tradunt.

Hieronymus (331—420) in epist. ad Tit. 1,12 interpretans orationis Pauli apostoli in Areopago habitae verba *'εὗρον καὶ βωμόν, ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο Ἀγνώστῳ θεῷ'* annotat:

Inscriptio autem arae non ita erat, ut Paulus asseruit ‚ignoto deo', sed ita:

‚Diis Asiae et Europae et Africae, dis ignotis et peregrinis.'

Oecumenius, episcopus Triccae Thessaliae (c. 950 p. Chr.), qui antiquiores Actorum apostolorum interpretatores excerpsit, de eadem ara haec tradit (Migne, Patrologia Graeca tom. 118 sp. 238):

Ἔστι δὲ ἡ πᾶσα τοῦ βωμοῦ ἐπιγραφὴ τοιαύτη·
Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης
Θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ.

In hoc quoque titulo quin primo numerus pluralis *θεοῖς ἀγνώστοις καὶ ξένοις* scriptus fuerit, dubium esse non potest. Litteris autem Graecis titulum arae conscriptum fuisse quoniam Hieronymus quoque vult — de ara enim Atheniensium disputat —, huius arae titulum ita fuisse censendum est:

Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης
Θεοῖς ἀγνώστοις καὶ ξένοις.

Etsi quem aut quos huius arae Atheniensis testes Hieronymus et is scriptor, quem Oecumenius excerpsit, habuerint nescimus; quin fuerit aetate posteriore saltem illa ara dubitare vix possumus.[1])

[1]) Titulum, quem genuinum Ed. Norden, falsum existimat Weinreich, De dis ignotis quaestiones selectae, *Archiv f. Religionswissenschaft* XVIII (1915), 26: „Quanam quaeso analogia fulciri potest hic titulus . . .? At ut

Athenis eam stetisse negavit E. Norden (*Ἄγνωστος θεός* 117 ss.) propter hos Pausaniae et Philostrati locos: Paus. I 1, 4. *βωμοὶ δὲ θεῶν τε ὀνομαζομένων Ἀγνώστων καὶ ἡρώων.* Philostr. vitae Apoll. VI 3, 5. *σωφρονέστερον γὰρ τὸ περὶ πάντων θεῶν εὖ λέγειν, καὶ ταῦτ' Ἀθήνησιν, οὗ καὶ Ἀγνώστων θεῶν βωμοὶ ἵδρυνται.* Apparere vir doctissimus existimavit aras Atheniensium *Ἀγνώστων θεῶν* solorum fuisse. Romae potius illam aram positam fuisse opinatus est fretus hoc loco Minuci Felicis (Octavi 6, 2): 'aras extruunt (sc. Romani) interdum ignotis numinibus et Manibus, sic dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt'. At etsi non nego et in aris a Pausania et Philostrato significatis et in ara, quam vidit Paulus, inscriptum fuisse titulum *Θεοῖς ἀγνώστοις*, tamen posse fuisse existimo recentioribus illis temporibus praeter aras cum titulis *Θεοῖς ἀγνώστοις* et *Θεοῖς πᾶσιν* etiam aram cum titulo illius generis et aliis in oppidis et Athenis.

Tituli Latini.

13.

Titulis Graecis satis magnum numerum titulorum Latinorum addo ita dispositorum, ut diversa titulorum genera eluceant.

a) Dis omnibus. CIL V 1, 4937, V 2, 6949.

b) Dis deabusque omnibus (DDO). III 2, 4775. 5070. 5155. 6289. III suppl. 1, 10835. 11728. V 1, 768. 4205. 5059. 5060. V 2, 5497. 8215.

c) Dis deabusque omnibus, Genio loci III 1, 3899, a. 224 p. Chr.

d) Dis deabusque Genioque loci. III 1, 3418 dedic. leg(atus) Aug(ustorum).

e) Omnibus diis et Caesaribus. V 2, 5737.

f) Iovi Soli Optimo Maximo Sarapidi et omnibus diis et inperatori Caesari Nervae Traiano. III 1, 3 a. 104/114 p. Chr. (Cretae).

g) IOM (Iovi Optimo Maximo), Iunoni Reginae, Minervae ceterisque dis deabusque CIL III suppl. 14217.

concedam fieri potuisse, ut Asiae, Africae, Europae numina in commune adorarentur, quis veterum *θεοῖς ἁγν. κ. ξ.* addidisset? Verba velut *θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις* apte adiungi poterant (?), minime autem *θ. ξ. κ. ἁγν.*" Contra dici potest Hieronymo scriptori antiquo neque titulum ipsum neque eius formam offensioni fuisse. Cf. ceterum titulum Commagenum supra 27, 12, ubi invocantur omnes di Persiae, Macedoniae, Commagenae, et pompam Antiochensem infra 64, 8, 2, in qua simulacra omnium deorum daemonumque ab hominibus omnino cultorum.

Eundem titulum cum additamento: et Genio leg. XIII, *Jahreshefte* III (1900) Bbl. 17, 7.

IOM et Marti Aug. et ceteris D.D. omnibus immortalibus III 2, 5307. IOM et ceteris dis deabuspue immortalibus et Daciae III 1, 1063 (a. 216 p. Chr.).

IOM et dis deabusque omnibus V 5785, III suppl. 1, 11126. 10424. 11810. *Jahreshefte* VI 1903 Bbl. 31, 37 (s. II part. I) IV 141, 47 cum addit.: ceterisque d. (a. 234 p. Chr.).

IOM et omnibus III suppl. 1, 11759 (ded. proc. Aug.).

IOM Culminali et dis deabusque omnibus III 2, 5186.

Numerus omnium deorum ararum, quae ex oppidis Graecis adhuc exstant, haud ita magnus quidem est; sed arae ipsae et locorum et temporum sunt, quae valde inter se distant (1 a saec. II a. part. prior., 4 anno 193 a. Chr. — 7 c et d anno 297 p. Chr. positae sunt, in omnibus aris Epidauriis anno 306 p. Chr. sacrificatum esse constat). Ac magni quoque momenti id est, quod nonnulla oppida aras praebent complures: Olympia duas, Epidaurus quattuor, Pergamum vero sex. Duo distinguenda sunt ararum genera. In quattuor vel sex potius titulis (1 b. 5. 8 c. d.—3. 6) omnes deos cum certis dis consociatos esse vidimus, erant igitur tamquam *θεοὶ σύμβωμοι* horum ipsorum. Ceterae autem undecim vel tredecim arae omnibus dis aequaliter dedicatae erant. At ex his quoque aris novem, quae aetatis imperatoriae sunt, positae fuerunt in delubris certorum numinum: 1 d Iunonis, 1 e, f Cereris mystice cultae, 8 a. b Aesculapii, 9 Proserpinae mystice cultae, 10 Iovis. Singularis est ara 9 b, in qua artifices videntur soliti esse sacrificare. Inter dedicantes eminent rex Eumenes (1 a), sacerdotes (1 e. 5. 8. 9 c), mulier, cui nomen est Panthea (1 c).

VII. Sacra *πάντων θεῶν* publica.

Templa et sacerdotia,
menses diesque festi,
preces ac sacrificia sollemnia,
pompae.

Ea genera testimoniorum, quae aut certe aut probabiliter peculiaria *πάντων θεῶν* sacra publica demonstrant, variis de

causis non separatim, sed omnia coniunctim ordine locorum servato afferentur; quo facto brevi in conspectu diversa genera ipsa ponentur et, quatenus oporteat, tractabuntur.

a) Testimonia.

Tituli Asiae insularumque finitimarum.

1. Ilii.

Sacerdotium, preces ac sacrificia.

a) CIG 3595 = OGIS 219. Decretum Iliacum anno fere a. Chr. n. 277 in honorem Antiochi Soteris, cuius in dicionem Ilienses denuo venerant, factum, dum legati regis in oppido aderant.

v. 17. *ὅπως οὖν ὁ δῆμος, ἐπειδὴ καὶ πρότερόν τε, καθ' ὃν καιρὸν παρέλαβεν τὴμ βασιλείαν* (sc. Antiochus a. 281), *εὐχὰς καὶ θυσίας ὑπὲρ αὐτοῦ πᾶσι τοῖς θεοῖς διετέλει ποιούμενος, καὶ νῦν εὔνους ὢν καὶ τὴν αὐτὴν αἵρεσιν ἔχων φανερὸς ἦι τῶι βασιλεῖ,* senatus populusque iubet *τὴμ μὲν ἱέρειαν* (sc. Minervae) *καὶ τοὺς ἱερονόμους καὶ τοὺς πρυτάνεις εὔξασθαι τῆι Ἀθηνᾶι τῆι Ἰλιάδι μετὰ τῶμ πρεσβευτῶν* pro regis reginaeque salute atque regno servando et amplificando. *εὔξασθαι δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἱερεῖς καὶ ἱερείας μετὰ τοῦ ἱερέως τοῦ βασιλέως Ἀντιόχου τῶι τε Ἀπόλλωνι τῶι ἀρχηγ[ῶι] τοῦ γένους αὐτοῦ καὶ τῆι Νίκηι καὶ τῶι Διὶ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις· ἐπὶ δὲ ταῖς εὐχαῖς τῆι μὲν Ἀθηνᾶι συντελάτωσαν τὴν νομιζομένην καὶ πάτ[ριον θυ]σίαν* (iidem, qui supra), *τ[ῶι δὲ Ἀπό]λλωνι καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς οἱ στρατηγοὶ μετὰ τῶν ἄλλων ἱερείων· ὅταν δὲ ποιῶ[σι τὰς θυ]σίας, στεφανηφορείτωσαν οἵ τε πολῖται καὶ οἱ πάροικοι πάντες καὶ συνιόν[τες τὰς πάσ]ας συντελείτωσαν θυσίας τοῖς θεοῖς ὑπερ τοῦ βασιλέως καὶ τοῦ δήμου.*

b) Doerpfeld, *Troia und Ilion* II 447, 1 (Brueckner). Fragmentum decreti Iliaci, quo in honorem Seleuci II (246—226 a. Chr. n.) eiusque domus et praefecti satrapiae Hellesponticae preces sacrificiaque simillima atque in titulo antecedente decerni Brueckner sagaciter intellexit. Quos honores ante annum a. Chr. n. 230 Seleuco tributos esse inde colligo, quod ab eodem fere anno Attalum I, regem Pergamenorum, post victorias de Galatis reportatas ad res Troiadis multum valuisse verisimile est (cf. Troia u. Il. II 584).

v. 4. *τὴν ἱέρε]ιαν τῆς Ἀθη[νᾶς τῆς Ἰλιάδος καὶ τὸν ἱερ]έα τῶν πάντω[ν θεῶν εὔξασθαι τῆι Ἀθη]νᾶι τῆι Ἰλιάδι καὶ [τοῖς πᾶσι θεοῖς βασιλέ]α Σέλευκον κ[αὶ . . .*
. . . καὶ] τὸν στρατ[ηγὸν . . .
. . . βα]σιλέως . . . . .
. . . τ]ὴν ἱέρ[ειαν τῆς Ἀθηνᾶς . . .

c) Ibid. II 447, 2. Fragmentum decreti Iliaci saeculi III extremi fere a. Chr. n. Lapis paulo supra primum versum polite abscissus. Propter hanc rem et propter reliquias nominis proprii formam genetivi praebentis (v. 2) et propter verbum *εἰσφέρειν* (v. 3) Brueckner initium decreti felicissime videtur supplevisse.

Ἐφ' ἱερέως τῶν πά]ντων θεῶν [τοῦ δεῖνος,
ἐπιστατοῦντος . . . δ]ήμου τοῦ Διοφ[άνους sive *άντου*
. . .]ρου εἰσφερε | . . .
ἡ ἱέρεια τῆ]ς Ἀθηνᾶς [Ἐ]ρ . . .
καὶ ὁ ἱερεὺς] τῶν πάντων θ[εῶν . . .

d) CIG 3599 = Michel, *Recueil* 731 = Prott-Ziehen, Leges Graecorum sacrae II 2, 194 (cf. II 1 praef. VI). Plebiscitum Iliacum saec. III a. Chr. n. exeuntis vel II ineuntis.

v. 1. *Ἐ]πειδὴ ὁ ἱερεὺς τῶν πάντων θεῶν Ἑρμίας Σκαμ[α]ν[δρίο]υ* (vir nobili genere natus) Minervae Iliadi quindecim milia drachmum dono dedit, populus iubet de fenore quotannis in honorem Minervae pompam duci, (v. 25:) *τ[ῆ]ς δὲ πομπῆς ἐπιμελετὰς [εἶναι τὸν ἱερέα] τῶν πάντων θεῶν καὶ ἀγωνο[θ]έτην καὶ τὸν ἐγλογιστήν.*

e) CIG 3598 = Fröhner, *Inscr. grecques* 101. Plebiscitum factum propter litem arbitrio externo compositam; ab Iliensibus complures civitates coronis donantur; circa 300 a. Chr. n.

v. 19. *ἀναγράψ[αι τόδε τὸ ψήφισμα εἰς στήλας δύο] τοῦ λευκοῦ λίθου καὶ θ[εῖναι τὴν μὲν μίαν ε]ἰς ἱερὸν τῆς παρ' ἡμῖν θ[εᾶς, τὴν δ' εἰς ἱερὸν τῶν πάντων θε]ῶν, ἐλέσθαι δὲ κτλ.*

Annotavit Boeckhius: „Quod supplevi *τῶν πάντων θεῶν*, verisimile fit ex n. 3599 v. 1 et 26“ = supra d. At ut pro certo dici non potest duas omnino stelas poni iuberi, ita vide, ne altera stela spectet delubrum alterius oppidi.

Haec de *πάντων θεῶν* sacris Iliacis dici potest. Seleuco II rege Ilii sacerdotium *π. θ.* erat, quod praeter sacerdotium

Minervae Iliadis, cuius in tutela praecipua oppidum antiquitus erat, auctoritate antecedebat cetera omnia. Inter sacerdotes viriles igitur sacerdos *π. ϑ.* summum obtinebat locum atque ab eo ipso annum Pergamenum nomen gessisse titulus 'c' pro certo fere docet. Templum quoque *πάντων ϑεῶν* eodem tempore Ilii exstitisse statuendum est. Quaeritur, num illud templum sacerdotiumque iam annis 277 et 281 fuerit, ad quos annos titulus 'a' pertinet? Peculiaria *πάντων ϑεῶν* sacra publica iam tum floruisse solemnes illius tituli preces ac sacrificia certe mihi videntur demonstrare. Primo ipse quidem putavi haec sacrificia, nisi in ara templi *π. ϑ.* proprii, in prytaneo *ἐν τῇ ἑστίᾳ κοινῇ* fieri potuisse,[1]) sed repugnat huic opinioni primum splendor illius sacrificii, qui facit, ut *πάντων ϑεῶν* templum potius postulemus, tum vero id, quod prytanes non sacrificio *πάντων ϑεῶν*, sed sacrificio Minervae intersunt. Sacerdotem *πάντων ϑεῶν* iam anno 277 fuisse negat Brueckner eo scilicet argumento usus, quod si fuisset, fieri non potuerit, quin in hoc titulo pariter atque in ceteris nominaretur. At preces sacrificiumque titulorum 'b et c' sacerdos *πάντων ϑεῶν* solus facit, cum multo sollemnius illud tituli primi omnes sacerdotes una excepta communiter faciant, ita ut non fuisse putaverim, quod sacerdos *πάντων ϑεῶν* praeter ceteros nominandus esset. Cui sententiae non obstat, quod mentio fit sacerdotis Antiochi. Nam cum hoc sacrificium in honorem regis fiat, mirum non est quod et cum *στρατηγοῖς*, magistratibus haud dubie regiis, sacerdos regis et inter deos Apollo *ἀρχηγός* gentis Seleucidarum, et Victoria Iuppiterque, praecipui auctores victoriarum, suis quisque nominibus nominantur. Magna igitur cum probabilitate e titulo primo concludere licet iam anno 281 a. Chr. n. id est initio regni Antiochi I Ilii templum et sacerdotium *πάντων ϑεῶν* fuisse.

2. Clazomenis
ceterisque in oppidis *τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων.*

OGIS 222 = BCH IX 387, 1. Lapis in duas partes fractus, inventus Clazomenis. Titulus decretum praebet legatorum *τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων* inter annos 266—261 a. Chr. n. factum,

[1]) Cf. infra p. 62, 1.

in quo agitur de sollemnibus honoribus Antiocho I attribuendis. Illa societas praeter Clazomenas atque Ephesum et Lebedum, quorum oppidorum nomina titulus servavit, has videtur continuisse civitates: Phocaeam, Erythras, Chium, Teum, Colophonem, Myum, Prienen, Miletum, Samum. Quarum legati in quam urbem convenerint, e titulo non elucet. Stelas autem, in quibus honores statuti insculpantur, ponendas constituunt et in Antiochi ipsius fano a societate in ea urbe, quam rex deligat, aedificando et in omnibus societatis urbibus.

Haec sacra concilio ad finem perducto fieri iubentur:

v. 31. a) *τοὺς δὲ συνέδρους τοὺς παρόντας ἀπὸ τῶμ πόλεων [συ]ντελέσαι ϑυσίαν τοῖς ϑεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις καὶ τοῖς β[α]σιλεῦσι Ἀντιόχωι καὶ Ἀντιόχωι* (A. II, regni socio) *καὶ τῆι βασιλίσσηι Στρατονίκηι, καὶ [ϑῦ]σαι ἱερεῖα τέλεια καὶ στεφανηφορῆσαι τούς τε συνέδρο[υς] καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς ἐν τῆι πόλει πάντας·* b) *ἀνοῖξαι δ[ὲ] τοὺς ἱερεῖς καὶ τὰς ἱερείας τὰ ἱερὰ καὶ ἐπιϑύειν ἐπευχομ[έ]νους συνευεγκεῖν τὰ δεδογμένα τοῖς τε βασιλεῦσι Ἀ[ν]τιόχωι καὶ Ἀντιόχωι καὶ τῆι βασιλίσσηι Στρατονίκηι καὶ [πᾶσι τ]οῖς μετέχουσι τῶν τιμῶν.*

Sacrificium sollemne a legatis haud dubie factum est in *πάντων ϑεῶν* templo eius urbis, in qua illi consederant. Atque vix erramus, cum ex hoc titulo concludimus in omnibus civitatibus *τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων* tum *πάντων ϑεῶν* sacra publica floruisse, id quod de Prienensibus et Erythraeis etiam confirmatur testimonio duorum titulorum, qui sequuntur.

3. Prienes.

Sacrificia, dies festus.

Hiller de Gaertringen, *Inschr. v. Priene* 11. Prienenses et in memoriam victoriae de Lysimacho anno 297 reportatae libertatisque recuperatae et in laudem *τῶν ϑεῶν τῶν σωισάντων* civitatem haec decernunt:

τοὺς Π[ριηνεῖς τοὺς ἐνδημοῦντας] τούς τε ἐλευϑέρους πάντας στε[φανηφορεῖν ἑκάστου ἐνι]αυτοῦ μηνὸς Μεταγειτνιῶν[ος — dies —], ἐν ᾗι ἡμέραι συνέβη τῶι δήμωι γεν[έσϑαι τὸν ἀγῶνα ὑπὲρ τῆς αὐ]τονομίας· ϑύειν δὲ ἐν τῆι ἡμέρ[αι ταύτηι] τῶν τε πολι[τ]ῶ[ν] ἕκαστον καὶ κοινῆι τὸν δ[ῆμον ϑεοῖς πᾶσι κατά τε] το[ὺς ἀγ]ῶνας τοὺς κατ' ἐνιαυτὸ[ν ἀγομένους καὶ κατὰ μῆνα τὸμ] Μεταγειτνιῶνα τῶι Διὶ τῶι Σ[ωτῆρι καὶ τῆι

Ἀθηνᾶι τῆι] Νίκηι καὶ ἄγειν ἑορτὴν Σωτήρ[ια καὶ πανηγυριάζειν] κατὰ φυλὰς ἡμέρας δύο τ[ήν τε — diem —]. θύειν δὲ καὶ τοὺς ἱερεῖς καὶ τὰ[ς ἱερείας τοῖς τε θεοῖς πᾶσι] καὶ τοῖς ἥρωσι τοῖς κατέχου[σι τήν τε πόλιγ καὶ τὴγ χώραν τὴμ] Πριηνέων κατὰ τὴν ἀνατ[ολὴν τοῦ ἡλίου?].

Quo in titulo non dubito quin recte utroque loco verba *θεοῖς πᾶσι* suppleta sint. Nam sacra et dis omnibus et Iovi Minervaeque ob victorias facta optime conveniunt cum opinione horum temporum, quibus victoriae ab omnibus auxilio omnium deorum eorumque maxime Iovis Soteris et Minervae (*Νίκης* vel *Πολιάδος*)[1] tribuebantur. Diversa autem huius tituli sacra hoc modo interpretor: Sacrificia separata Iovi Minervaeque facienda in versibus *κατά τε — Νίκηι* exstant, dis omnibus autem et anniversario victoriae communiter cum privatim in aris domesticis tum publice in templo *πάντων θεῶν* immolandum est ac *Σωτήρια καὶ πανήγυρις* agenda sunt et in omnibus oppidi fanis sacrificandum est idque in suo cuique templo a suo sacerdote.

4. Erythris.

Sacrificia anniversaria.

Abhandlungen der Berl. Academie 1909, *Phil.-histor. Klasse, Abh.* II 49, 12. Tabula mutilata cum titulo prioris partis saeculi II a. Chr. n., qui pecunias continet ex aerario publico per singulos menses ad sacrificia *θεῶν δημοσίων* solvendas. Septimo die mensis incerti solvendae sunt:

v. 46. *[θεοῖς] πᾶσι καὶ πάσαις τελείων ὀ[κτὼ σ'] =* 200 scil. *δραχμαί.*

Finem versus ad versum 6 eiusdem tituli optime supplevit Wilamowitzius. *τὸ τέλειον* = aries et ovis.

Hoc sacrificium cetera omnia, quae titulus praebet, longe superat: altero enim tanto maius est quam sacrificium id, quod praeter hoc maximum omnium est (v. 6); unde apparet sacra *πάντων θεῶν* inter cetera sacra publica Erythraeorum summa auctoritate fuisse. Quare templum et sacerdotium *πάντων θεῶν* Erythris tum fuisse pro certo habeo.

[1]) Cf. p. 69 et titulum proximum.

Duae praeterea tituli res memoratu dignae sunt. Quo die *θεοῖς πᾶσιν*, eodem etiam *Διὶ Σωτῆρι Ἀθηνᾶι Π[ολιάδι?]* sacrificium commune fit, ex qua re nescio an concludi possit illa sacra simili de causa instituta esse atque sacra Prienensia tituli antecedentis. Tum in numero *θεῶν δημοσίων* comparent Roma (post 189, Wilam.), *βασιλεῖς* (reges Pergamenorum), Antiochus (*Θεός* Wilam., Soter? cf. tit. 2), Alexander, quibus omnibus Erythraeos nomine et sumptu *τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων* immolavisse nota '*κοινόν*' sacrificiis eorum addita docet. Quae numina *θεοῖς πᾶσιν* adnumeranda esse apertum est.

4'. Elaeae.

Preces, sacrificium.

Athen. Mitt. 38 (1913), 37 ss. Stela reperta 4 km a ruinis Elaeae (7,5 km a parietinis Pitanes). Continet decretum populi anni 129 a. Chr., quo sciscitur, ut senatus Romanorum consultum, quod est de civitate inter socios et amicos populi Romani recipienda, duabus stelis inscribatur.

v. 39. *ὅτα]ν τε ἡ ἀνάθεσις [αὐτῶ]ν ἐπιτελῆται, [τὸν στ]εφανηφόρον καὶ [τοὺς ἱ]ερεῖς καὶ τὰς ἱ[ερείας κ]αὶ τοὺς ἄρ[χ]οντας [ὑπὲρ] τῶν πολιτῶν [ἀνοίξα]ντας τοὺς ναοὺς [τῶν θ]εῶν ἐπιθυμιᾶ[ν τὸν λιβ]ανωτόν, ε[ὐχ]ομέ[νους]· „Ἐπ' ἀγαθῆι τύχ[ηι καὶ σω]τηρίαι τοῦ τε [ἡμε]τέρου δήμου κ[αὶ τῶν Ῥωμ]αίων καὶ τοῦ κοι[νοῦ τ]ῶν περὶ τὸν Κ[αθηγεμόν]α Διόνυσον τε[χν]ι[τῶν], μεῖναι ἡμῖν εἰς ἅπ[αντα τὸ]ν [χ]ρόνον τὴν πρὸς [Ῥωμ]αίους φιλίαν καὶ συμμα]χίαν.“ παραστα-[θῆ]ναι δὲ καὶ θυσίαν ὡ[ς καλλ]ίστην τῆι τε [Δή]μητρι καὶ τῆι Κόρ[ηι ταῖς π]ροκαθημέναις [θε]αῖς τῆς πόλεως ἡ[μῶν, ὁμο]ίως δὲ καὶ τῆι [Ῥώμ]ηι καὶ τοῖς ἄλλοι[ς θεοῖ]ς πᾶσι καὶ πάσαις. [εἶν]αι δὲ καὶ τὴν ἡμέ[ραν ἱερ]ὰν κτλ.*

5. Laodiceae ad Lycum.

Templum (sub 6).

6. Antiochiae ad Maeandrum.

Templum.

O. Kern, *Inschr. Magn.* 59. Titulus valde mutilus, qui decretum praebet Laodicenorum inter annos 206—202 a. Chr. n.

in honorem Magnetum factum, quorum legati Laodiceam venerant sollemnia Dianae Leucophryenae indicturi.

v. 7. *συντελ[. . . . .*
[. . . . . θυσ]ίας καλέσαι τοὺς πρεσβευτὰς
[εἰς τὸ Πάνθ]ε[ο]ν [ἵνα συνθύωσι καὶ συνῶσι ἐν
[. . . . . .], ἐπηνῆσθαι δὲ κτλ.

v. 15. *στεφ[α]νοῦ[σ]θαι δὲ αὐτοὺς* (legatos)
καθ' ἕ[καστον] ἐνιαυτὸν ἐν τῶι ἀγῶνι ὧι συντ[ε-
[λοῦμεν] ἐν Π[αν]θ[έ]ωι τῶ[ι Ἀ]ντιοχέων χρυσῶι στε-
[φάνωι . . . .] κτλ.

1. Ad v. 7 ss.

v. 7—8 fortasse supplendum est *συντελουμένης δὲ τῆς θυσίας*. Ad idem sacrificium referendos esse existimo reliquias versus 4 s. *τῆς θυσίας | [. . . συντε]λε[ῖν . . . ὑ]πὲρ τῆς σωτηρί[ας | . . .]*.

De sacrificio ipso vel potius de templo, in quo illud factum est, hoc dicendum est.

Aliae civitates legatos Magnetum vocant *εἰς τὴν κοινὴν ἑστίαν, εἰς τὸ πρυτανεῖον, εἰς τὸ πρυτανεῖον ἐπὶ τὰν κοινὰν ἑστίαν, εἰς τὸ ἱεροθυτεῖον* (cf. *Inschr. Magn.* 45, 47; 46, 40; 48, 31; 50, 65; 72, 26; 80, 20). Quorum vocabulorum nullum loco mutilato versus 9 propter litteras servatas '*ε[ο]ν*' inseri potest. Quaeritur, num causis interioribus *εἰς τὸ Πάνθεον* probari possit? Fieri posse, ut Laodiceae Pantheum fuerit, cum aliorum oppidorum (cf. tit. 8) exempla probant tum Pantheum illud Antiochense, cuius fit mentio v. 17. Atque fieri posse, ut *θεοῖς πᾶσιν* in honorem Magnetum sacrificatum sit, optime exemplum ostendit Antiochensium tituli 7. Ceterum etiam sacrorum Vestae *ἐν ἑστίᾳ κοινῇ* factorum illis temporibus *πάντας θεούς* partem habuisse alio loco infra explanabo.

2. Ad v. 15 ss.

Haec tituli pars memoriae prodit ludos anniversarios *ἐν Πανθέωι* Antiochensium a Laodicenis Cariae actos, in quibus Laodiceni legatos Magnetum corona donare constituunt. Interpretor *ἐν Πανθέωι* 'in templo *πάντων θεῶν*', ita ut agatur de ludis in *τεμένῳ* Panthei Antiochensis in *πάντων θεῶν* scilicet honorem actis, quibus intererant Laodiceni, Magnetes, fortasse aliae civitates. Antiochiam intellego oppidum Cariae ad Maeandrum situm; neque enim dubium esse potest, quin

Antiochenses huius tituli iidem sint atque *Ἀντιοχεῖς*, quos una cum tribus aliis civitatibus Cariae Magnetes in fine huius decreti enumeraverunt praepositis verbis *κατὰ τὰ [αὐτὰ δὲ ἐψηφίσαντο]*. Antiochiam ad Daphnen, caput regni Seleucidarum, qua de causa intellexerit Dittenberger, non exposuit. Utique verisimile non est Laodicenses et Magnetes quotannis legatos misisse ad ludos urbis remotissimae.

Mensis *Πάνθεος* pro templo '*Πάνθεον*' illud *ἐν Πανθέῳ* vix interpretandum est. Nam praeter quod desideratur *ἐν μηνὶ Πανθέωι*,[1]) qui mensem intellegere vult, Antiochiae ludos actos esse existimare vix potest. Si agatur de ludis Laodiceae celebratis, vix satis perspicias, cur Laodiceni ad tempus suorum ludorum destinandum mensem Antiochensem adhibuerint.

7. Antiochiae Persidis.

Mensis, preces.

Inschr. Magn. 61 = OGIS 233. Decretum Antiochensium Persidis inter annos 206—202 a. Chr. n. in honorem legatorum Magnetum factum.

Π]αρὰ Ἀντιοχέων τῶν Π[ερσικῶν·

Ἐ]πὶ ἱερέως regum regni Seleucidarum *τοῦ δ. τῆς πρώτης ἑξαμήνου· δόγματα ἐκκλησίας κυρίας τὰ ἀπενεχθέντα ὑπὸ τοῦ δ. μηνὸς Πανθέου τρίτηι φθίνοντος.*

v. 53. *εὐξασ[θ]αι δὲ τοὺς ἱερεῖς θεοῖς πᾶσιν καὶ πάσαις διαμένειν Μ[άγ]νησι εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον ἐπὶ τύχηι ἀγαθῆι τὴ[ν] πολε[ιτεί]αν.*

Ad v. 1. *Π[ερσικῶν]* supplevit Kern adductus titulo 18, ubi eosdem tres legatos, qui in v. 30 huius tituli comparent, Antiocho regi occurisse narratur *ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Περσίδος*. Ad Antiochiam Pisidiae Kern rettulit *Inschr. Magn.* 80. Cf. OGIS 233 not. 1.

v. 3. *τῆς πρώτης ἑξαμήνου·* intellego priores sex menses[2]) sacerdotii annui. Quoniam verisimile est initium anni Anti-

---

[1]) Cf. tit. 7 et 13; qui autem *ἐν τῶι Π.* pro *ἐν Π.* = in templo *π. θ.* desiderat, conferat OGIS 532, ubi *ἐν Σεβαστήωι*.

[2]) De partibus annorum diversarum civitatum cf. E. Bischoff, De fastis Graecorum antiquioribus, *Leipziger Studien zur klass. Philologie* VII (1884) 441. Enumerantur hae partes: *δίμηνοι, τετράμηνοι, ἑξάμηνοι*.

ochenses ab aequinoctio cepisse autumnali, sacerdotem ἐπώνυμον autem (v. 2) munus inisse primo anni novi die, mensis Πάνθεος prioribus sex anni Antiochensis mensibus (Sept.-Mart.) cum probabilitate attribui potest.

v. 53. εὔξασθαι. Preces sollemnes a sacerdotibus communiter factas esse existimo in Pantheo; nam Antiochenses, cum mensem proprium dis omnibus consecraverint, templum quoque iis idque iam antea quin aedificaverint, dubitari non potest.

8. Antiochiae ad Orontem (in capite regni Seleucidarum).

1. Templum. Joh. Malalas (vixit saec. VI exeunte p. Chr.), Χρονογραφία IX, Corpus script. hist. Byzant. (ed. Dindorf) 278.

Εἰσῆλθεν ὁ αὐτὸς Ἰούλιος Καῖσαρ ὁ δικτάτωρ ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ κγ΄ τοῦ Ἀρτεμισίου (anni 47 a. Chr. n.) . . ., ἀνενέωσε δὲ καὶ τὸ Πάνθεον μέλλοντα συμπίπτειν ἀνεγείρας τὸν βωμόν.

p. 242. Anno post Christi mortem quinto Tiberio regnante scriptor narrat profectum esse τὸν ἅγιον Παῦλον ἀπὸ Ἀντιοχείας τῆς μεγάλης κηρύξαντα ἐκεῖ πρῶτον τὸν λόγον ἐν τῇ ῥύμῃ τῇ πλησίον τοῦ Παρθέου τῇ καλουμένῃ τῶν Σιγγῶνος ἅμα Βαρνάβᾳ.

Pantheum Antiochense eiusque aram, cum anno 47 iam valde laesa essent, exstructa esse apparet aetate Seleucidarum compluribus fortasse saeculis ante.

2. Polyb. XXXI 3 = Athenaeus V 22. Pompa ab Antiocho IV anno a. Chr. n. 166 Daphnes in suburbio Antiochiae ducta, quae erat pars Νικητηρίων ob bellum Iudaicum celebratorum, quorum splendore rex ludos superare voluit ab Aemilio Paulo post Perseum victum Amphipoli apparatos.

Ἀρχὴν δ' ἐποιήσατο (Antiochus) τῆς παηγύρεως τὴν πομπείαν· — τὸ δὲ τῶν ἀγαλμάτων πλῆθος οὐ δυνατὸν ἐξηγήσεσθαι· πάντων γὰρ τῶν παρ' ἀνθρώποις λεγομένων ἢ νομιζομένων θεῶν ἢ δαιμόνων, προσέτι δὲ ἡρώων εἴδωλα διήγητο . . . καὶ πᾶσι τούτοις οἱ προσήκοντες μῦθοι κατὰ τὰς παραδεδομένας ἱστορίας ἐν διασκευαῖς πολυτελέσι παρέκειντο. εἵπετο δ' αὐτοῖς καὶ Νυκτὸς εἴδωλον καὶ Ἡμέρας Γῆς τε καὶ Οὐρανοῦ καὶ Ἠοῦς καὶ Μεσημβρίας.

Inter simulacra deorum haud dubium est, quin circumlata sint signa quoque regum consecratorum.

9. Betheliae (Syriae).

Templum. Sozomenus (saec. V in. p. Chr. n.), Ἐκκλησιαστικὴ ἱστορία V 15 ed. Rob. Hussey II, 486. Narrat Sozomenus:

Maiores mei Χριστιανοὶ πρῶτοι ἐγένοντο ἐν Βηθελίᾳ κώμῃ Γαζαίᾳ, πολυανθρώπῳ τε οὔσῃ καὶ ἱερὰ ἐχούσῃ ἀρχαιότητι καὶ κατασκευῇ σεμνὰ τοῖς κατοικοῦσι· καὶ μάλιστα τὸ πάνθεον, ὡς ἐπὶ ἀκροπόλεως χειροποιήτου τινὸς λόφου κείμενον καὶ πανταχόθεν πάσης τῆς κώμης ὑπερέχον. Συμβάλλω δὲ τὸ χωρίον ἔνθεν λαχεῖν τὴν προσηγορίαν καὶ ἐκ τῆς Συρίων φωνῆς εἰς τὴν Ἑλλήνων ἑρμηνευόμενον θεῶν οἰκητήριον ὀνομάζεσθαι διὰ τὸν τοῦ πανθέου ναόν.

τοῦ πανθέου· Nominativus sine dubio est τὸ πάνθεον = πάντες θεοί, non ὁ Πάνθεος = deus Pantheus (*Allgott*) id quod interpretatus est F. Cumont (Daremberg et Saglio, *Dictionaire s. v. Panthea signa*). Cui opinioni cum repugnat articulus tum id, quod nomen Betheliae Sozomenus ipse interpretatus est θεῶν οἰκητήριον = τὸ πάνθεον.

10. Sillyi (Pamphyliae).

Sacerdotium. BCH XIII 1889, 486 = Lanckorónski, *Städte Pamphyliens und Pisidiens* I, 58 (ubi autem prima tituli pars deest). Litterae saeculi II fere p. Chr.

Ἡ γ]ερουσία καὶ ὁ δῆμος ἐτ[είμησεν] ἱέρειαν θεῶν πάντων καὶ [ἱερό]φαντιν διὰ βίου καὶ δεκά[πρωτον] Μηνοδώραν Μεγακλέους κτλ.

BCH XIII 486, 2 = Lanck. 177, 60.

Ἡ β]ουλὴ [καὶ ὁ δῆμος] ἐτείμησεν ἀρχιέρειαν τῶν Σεβαστῶν, ἱέρειαν Δήμητρος καὶ θεῶν πάντων καὶ ἱερόφαντιν τῶν πατρίων θεῶ[ν] . . . Μηνοδώραν Μεγακλέους κτλ.

Ex his titulis inter se comparatis elucet Menodoram primum sacerdotium πάντων θεῶν, deinde Cereris, tum Divorum administravisse sacerdotiumque πάντων θεῶν inter sacra Sillyi publica aetate imperatoria tertium, aetate priore, qua id iam floruisse probabilissimum est, secundum obtinuisse locum. Ceres Sillyorum conferri potest cum Minerva Iliorum supra 56, 1.

11. Mytilenis (Lesbi).

Mensis. IG XII 2, 81. „Stele marmoris fusci a nulla parte integra." Titulus catalogum gymnasii praebet. Litteras

saeculo a. Chr. n. III attribuo tituloque 74 collato cum probabilitate parti priori.

v. 1. *Ἄρχει Πανθηΐῳ* (sc. *μηνὸς*) *νεαμέρα* — sequi videtur nomen pueri ad exemplum v. 5.

v. 3. *Ἄρχει Πανθηΐῳ* . . .

12. Eresi (Lesbi).

Sacerdotium. IG XII 2, 549. Saec. I p. Chr. part. prioris.

Τὸν εἴρεα καὶ ἀρχείρεα τῶν Σεβάστων καὶ τῶν ἄλλων θέων πάντων καὶ παίσαν διὰ βίω Τιβέριον Κλαύδιον Λέοντος ὕϊον Κυρείνα Λάμαρχον ὁ δ. τὸν ὑφαγήταν αὔτω παίσας ἀρέτας ἕννεκα καὶ τᾶς πρὸς αὔτον εὐνοίας.

Tituli sacerdotium mihi non plane perspicuum esse profiteor. Titulo 10 supra facile adducimur ad interpretandum *ἀρχείρεα τῶν Σεβάστων καὶ εἴρεα θέων πάντων*. Sed fieri quoque potest, ut de uno tantum sacerdotio agatur, quod ad templum pertineat, in quo signa *τῶν Σεβαστῶν* inter signa *τῶν ἄλλων(!) θεῶν* medium tenebant locum. Quae res utut se habet, hic titulus docet sacra *τῶν Σεβαστῶν* et *θεῶν πάντων* inter se artissime coniuncta fuisse.

Λάμαρχος titulum *ἀρχιέρεως* videtur habuisse ib. 540, appellatur *ἱέρευς αὔτω* i. e. imperatoris Tiberi Claudi 542, subscripsit primo loco statuae, quam *[οἱ αὔτω καὶ] τῶν ἄλλων(!) Σε[βάστων ἱέρεις καθιέ]ρωσαν* 541. *Σεβαστοὶ* igitur hoc in titulo intellegendi sunt Tiberius imperator vivus et Divi, imprimis Augustus et Caesar.

13. Pergami.

1. Mensis *Πάνθειος*.

a) Fraenkel, *Inschr. v. Perg.* II 251 = SIG³ 1007.

Titulus „cum propter litteras tum propter ordinationem versuum et litterarum exaratus esse videtur priore saeculi II a. Chr. n. parte“ (Paepcke, De Pergamenorum litteratura, diss. Rostoch., 1906, 21). Plebiscitum.

v. 1. *Ἐπὶ πρυτάνεως Καβείρου μηνὸς Πανθείου εἰκάδι·*

b) *Ath. Mitt.* XVII 47 (ed. Kolbe) = OGIS 483. Titulus servat *ἀστυνόμων τὸν βασιλικὸν νόμον*. Saec. II a. Chr. n.

v. 190. *Οἱ καθεσταμένοι ἀστυνόμοι τὰς ὑπαρχούσας ἐν ταῖς οἰκίαις δεξαμενὰς ἀναγραφόμενοι ἐν τῶι Πανθείωι μηνὶ τιθέσθωσαν τὴν γραφὴν πρὸς τοὺς στρατηγοὺς καὶ ἐπιμελείσθωσαν, ἵνα οἱ κύριοι στεγνὰς παρέχωνται καὶ μηδεμία τῶν προϋπαρχουσῶν ἐνχωννύηται.*

„De tempore anni non certa quidem, sed probabilis est Kolbii coniectura, qui monet cisternas sine dubio eodem tempore, quo index conficeretur et praetoribus traderetur, etiam visitatas et exanimatas esse ab astynomis. Atqui id commodissime factum esse quo tempore maxime vacuae essent i. e. ante initium imbrium hibernorum, fere Novembri mense“ (Dittenb.). Quod quoniam non improbabile esset annum civilem Pergamenorum pariter atque pleraque calendaria Aeolica ab aequinoctio autumnali initium cepisse, mensi *Πανθείῳ* attribuendum esse aut alterum aut tertium locum anni Pergameni censuit Kolbe (cf. tit. 7 supra).

2. Sacrificium. *Ath. Mitt.* XXXII 1907, 278. Decretum populi, in quo Stratonis gymnasiarchi enumerantur merita. Tituli litteraturam alteri fere saeculi II a. Chr. n. parti attribuo.

v. 19. *ἔν] τε τ[ῆι εἰς τ]ὴν ἀρχὴν εἰσόδωι ἐβουθύτησεν παρ' ἑαυτοῦ πᾶσιν [ἐπευξ]ά[μενος τοῖς] θεοῖς ὑπὲρ τοῦ δήμου σωτηρίας καὶ ὁμονοί[ας.*

3. Ara magna, quae gigantomachiam continet vulgoque ara Iovis nominatur, *θεοῖς πᾶσιν* attributa est a Brueckner[1]), postquam antea *Διὶ Σωτῆρι* addicta est a Conzio[2]), quem Fabricius[3]) secutus est, atque *Διὶ καὶ Ἀθηνᾶι Νικηφόρωι* a Fraenkelio[4]).

De nomine dei aut deorum, quibus rex Eumenes (197—159 a. Chr.) monumentum illud magnificum dedicavit, neque operis reliquias adhuc erutas neque testimonia scriptorum certa docere constat. Inter diversas autem sententias probabilissimam esse Brueckneri, qui ipse testes nominavit praeter Pergamenorum *πάντων θεῶν* sacra titulis tradita primum quidem ornatum monumenti, tum Polybii locum infra afferendum, spero me ostentaturum esse.

---

[1]) Brueckner de hac quaestione anno 1902 in societate archaeologica Berolinensi orationem habuit, quam typis non mandavit; vide *Jahrb. d. J.* 1902 Anz. 20; praeterea cf. Brueckner, *Wann ist der Altar von Pergamon erbaut worden? Jahrb. d. J.* 1904 Anz. 218 ss.

[2]) *Sitzungberichte der Berliner Academie* 1884, 12 ss.

[3]) Baumeister, *Denkmäler des Altertums* II 1214.

[4]) *Inschr. v. Perg.* 69.

Qui Iovi aram attribuerunt, teste usi sunt hoc Pausaniae loco (V 13,8): *πεποίηται δὲ* (scil. Iovis ara Olympica) *ἱερείων τῶν θυομένων τῷ Διὶ ἀπὸ τέφρας τῶν μηρῶν καθάπερ γε καὶ ἐν Περγάμῳ*. Quae verba, cum mos cinere aras exstruendi aetatis priscae esset, vix ad recens Eumenis opus, sed ad vetustissimam Iovis aram in summa arce sitam fortasse spectare Schrammen iudicavit[1]).

Iovis Soteris aram fuisse Conze et Fabricius existimaverunt adducti titulis *Inschr. v. Perg.* 246 v. 10 et 251 v. 30, qui aram praebent Iovis Soteris. At alterius tituli aram omnino non Pergami, sed Elaeae positam fuisse, alterius autem aram, quam in foro Pergameno stetisse titulus docet, aram magnam nulla probabili causa ab illis intellectam esse iure iudicavit Fraenkel.[2])

Qui ipse Iovi et Minervae *Νικηφόρῳ* quin ara attribuenda esset minine dubitari posse dixit ab eo, qui consideraret, quot monumenta communia inde ab Attali I temporibus haec ipsa numina praeter cetera a regibus accepissent et quam arte eadem in gigantomachia inter se coniungerentur, quam perspicue ceteris dis eo eminerent, quod iis plures gigantes opponerentur quam ceteris, Minervae vero mater gigantum adderetur.

At neque in hoc neque in illo argumento vis atque auctoritas inest. Primum quidem, quod Iovem et Minervam in gigantomachia ceteris dis omnibus praestare vir doctissimus

[1]) *Altertümer v. Perg.* III 1, 75. In acumine arcis Iovem natum esse Pergameni dicebant.

[2]) Antiquitus iam in foro Pergameno ad exemplum plurimorum oppidorum aram Iovis Soteris stetisse iudicavit Fraenkel; monuit quoque inter ingentem numerum donariorum, quae Pergami effossa essent, donarium Iovis Soteris inventum esse nullum. Quod eum locum, in quo ara magna posita erat, partem fori fuisse Conze et Fabricius voluerunt, haec opinio mihi videtur minime probabilis. Inter fori enim et arae magnae altitudinem non minus intererat quattuordecim metris atque ad forum aut nullae omnino aut angustae scalae descendebant (extat in muro arae ad forum spectante foramen, quod 1,40 m latum est; cf. *Altertümer v. Perg.* III 1, 11); utique arae magnae porta sita erat ad viam, quae in arcem ascendebat. Atque id certum est ante aram magnam conditam hunc locum partem fori non fuisse; nam extant et sub ara ipsa reliquiae aedificii rotundi et sub duobus illis locis cuneatis, quae inter aram et forum Eumenes exaedificavit, reliquiae complurium aedificiorum; cf. *Altertümer v. Perg.* III 1, 7.

existimavit, interim Carolus Robert ostendit Herculi quoque a sinistra Iovis pugnanti totidem tabulas dandas esse atque Iovi et Minervae, quibuscum Hercules praeclarissimam illam effecisset triadem, quae maxime vim gigantum pervertisset[2]). Tum Fraenkelii opinioni is repugnat gigantomachiae locus, quem in latere arae deos Olympios praebente Iuppiter Minervaque obtinent; neque enim in hoc latere medio conspiciuntur, sed a dextra eorum Mars solus, a sinistra autem Hercules, Iuno, Mercurius, Apollo, Latona, Diana, Hecate exhibentur,

Quo summo Fraenkelii argumento revicto simul iam id documentum, quod e monumentis Iovi et Minervae *Νικηφόρῳ* dedicatis Fraenkel assumpsit, corruit. Praeterea id ipsum, quod illa monumenta in Minervae Poliadis templo supra aram magnam sito a regibus ponebantur, monet, ne infra ipsum Minervae Poliadis templum etiam Minervae *Νικηφόρῳ* proprium delubrum idque splendidissimum exstructum esse putemus. Maxime autem Fraenkelii opinioni adversatur, quod etiam post aram magnam conditam rex Attalus II monumentum Iovi et Minervae *Νικηφόρῳ* dedicatum non in porticu arae magnae, sed ad exemplum donariorum pristinorum in porticu templi Minervae Poliadis posuit[2]).

Quoniam igitur Iovis et Minervae *Νικηφόρου* aram fuisse negamus, iam quaeritur, num iure maiore ea attribui possit *θεοῖς πᾶσιν*. Quae res ut facilius diiudicetur, prius quaerendum est, quibus rebus commotus quibusque annis Eumenes aram magnam aedificaverit.

Non pro uno eventu, sed pro omnibus regni sui rebus prosperis Eumenem eam dedicavisse Fraenkel e fragmento eius tituli sumpsit, qui partem dedicationis arae servat isque quondam in arae latere, quod ad orientem spectabat, incisus erat. Cuius tituli verba huc pertinentia vir doctissimus ad exemplum tituli *Inschr. v. Perg.* 246 v. 3 sic supplevit: *[Βασιλεὺς Εὐμένης ... ἐπὶ τοῖς γεγενημένοι]ς ἀγαθ[οῖς]* i. e. pro beneficiis acceptis. Quae dedicatio non videtur interdicere, ne monumenti exstruendi consilium captum esse opinemur ob eventum singularem monumentumque imprimis consecratum

[1]) C. Robert, *Hermes* XLVI 1911, 217 ss.

[2]) Baumeister, *Denkmäler* 1222.

esse pro eo ipso eventu. Gigantomachiam utique ad bella spectare ab Eumene feliciter gesta pro certo habeo neque dubito, quin gigantes Galatas feroces designent, gigantomachia victorias de inculta hac gente partas. Tria, quantum scimus, bella Eumenes cum Galatis gessit. Anno 189 in fines Galatarum una cum Gnaeo Manlio, duce copiarum Romanarum, invasit, bello cum Prusia gesto (186—184) Galatae videntur socii Bithynorum fuisse, sed neque hoc neque illud bellum dignum fuisse videtur, quod cum gigantomachia conferretur. Tertium autem bellum (168—166) totum regnum in summum discrimen adduxit; subito enim Galatae in regnum Eumenis incurrerunt atque agros urbesque depopulati sunt. Accessit, quod Romani Eumenem odio atque invidia persecuti Attalumque, fratrem regis, auxilii petendi causa Romam missum sollicitare conati sunt, ut ab Eumene deficeret. Constat Galatas plane devictos esse. Quae victoria quanti aestimanda sit, optime haec verba decreti Pergamenorum anno 166 facti docent: *μείζονα εὐημερήματα* (quam quae de Antiocho III anno 190 parta erant) *γέγονεν τῶι βασιλεῖ, ἐξ ὧν τὰ μέγιστ' ἀγαθὰ τῶι τε ἡμετέρωι δήμωι καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν περιγέγονεν.*[1]) Idem apparet e sacris ludisque, quos Sardiani instituerunt *διαφυγόντες [τὸν μέγιστον] κίνδυνον μετά τ[ε τᾶς τ]ῶν [θεῶν] εὐν[ο]ίας καὶ [μετὰ τᾶς τοῦ β]ασιλέος Εὐμένεος ἀρετᾶς.*[2]) Quare equidem inter bella Galatica atque etiam inter cetera omnia Eumenis bella hoc solum dignum esse existimo, ad quod illud opus splendidum referatur.

Post hoc ipsum bellum, non inter annos 183—174, — id quod Fraenkel voluit,[3]) quoniam bello Bithynico excepto (183—179!) regnum Pergamenum illo spatio pacem habuisset — aram magnam exstructam esse iis quoque probatur, quae de Telephi fabula in porticu arae interiore efficta Brueckner,[4]) de tempore, quo haec porticus eiusque ornamentum fabulosum constructa sunt, Schrammen[5]) exposuit. Telephi enim fabulam ea ratione, qua in porticu efficta comparet, concipi non potuisse

[1]) *Inschr. v. Perg.* 167.
[2]) BCH V 383 v. 11. Omnia huius belli testimonia ibidem congesta sunt.
[3]) *Inschr. v. Perg.* 69.
[4]) l. c.
[5]) *Altertümer v. Perg.* III 1, 81.

ante annum 168 Brueckner demonstravit simulque felicissime opinatus est fabulam in hanc formam redactam primum publice pronuntiatam esse proximis post bellum Galaticum Nicephoriis, ad quae Eumenes multas civitates principesque amicitia coniunctos invitasset. Atque Schrammen, vir architecturae peritissimus, statuit arae partem maximam ab Eumene aedificatam, porticum autem Telephi fabulam continentem ab Attalo II confectam esse. Certum est regem Eumenem ipsum anno 165 in animo habuisse Telephi fabulam arae inserere. Atqui non effecit. Cur non? Propter mortem praematuram opus incohatum reliquit.

Haec omnia si recte disputavimus, aliis ara attribui non potest numinibus nisi aut Iovi aut Iovi et Minervae *Νικηφόρῳ* aut *θεοῖς πᾶσιν*, quoniam haec numina unice in titulis comparent, qui donaria propter victorias data memoriae tradunt. Atque quoniam improbabile esse vidimus aram fuisse Iovis aut Iovis et Minervae, iam hinc magna cum probabilitate eam *θεοῖς πᾶσιν* attribuere licet.

Alia accedunt. Felicissime Polybii locum a Brueckner ad aram magnam relatum esse puto. Anno enim 168, cum in summo discrimine res Eumenis erat, hunc fratri Romam misso (vide p. 70) per familiarem hoc dixisse Polybius narrat (XXX 2, 7):

θαυμάζειν ἔφη πόσα βλάπτει τοὺς ἐνεστῶτας καιρούς. μεγάλην γὰρ δεῖν ἔχειν πᾶσι τοῖς θεοῖς χάριν, εἰ συμπνεύσαντες καὶ μιᾷ γνώμῃ χρώμενοι δύναιντο τὸν ἀπὸ Γαλατῶν φόβον ἀποσασθαι καὶ τὸν ἀπὸ τούτων ἐφεστῶτα κίνδυνον.

Quibus ex verbis nescio an conicere liceat in illo discrimine rerum aram magnam *θεοῖς πᾶσιν* votam esse. Postea non pro hoc bello solo, sed simul pro ceteris victoriis et pro omnibus pacis commodis aram dicatam esse nos iam docuit titulus *Inschr. v. Perg.* 246, si quidem recte restitutus est. Ob haec ipsa dedicationis verba maiore ceterum iure aram non singulis, sed universis numinibus attribui apparet.

Gravissimus autem huius opinionis testis praeter multorum numinum statuas in tecto porticus positas[1]) ingens deorum dearumque numerus afferendus est, quos artifices iussu

[1]) cf. *Altertümer v. Perg.* III 1, 77; VII 169.

Eumenis cum gigantibus decertantes fecerunt. Conspiciuntur enim[1]) in latere arae ad orientem vergente di caelestes aut Olympii Iove duce, in latere ad occasum solis spectante dei, qui terras atque maria habitant, Dionyso et Neptuno ducibus, in latere meridiano di luciferi magni: Sol, Luna, Aurora cognatique Titanes, vetustissimum deorum genus, in latere septentrionali stellae signaque caeli, quae numina illa aetate a Graecis in Asia habitantibus hic illic culta esse constat, Nocte Parcisque, filiabus eius, ducibus. Ac diversa haec deorum genera tam artificiose inter se coniuncta sunt, ut unum totumque faciant. Uno aspectu quicumque ingentem hunc deorum exercitum contuetur, dubitare non potest, quin artifices non singulorum, sed universorum potissimum deorum vim illustrare voluerint. Quod si omnino licet opinari — id quod non dubito — artissimam rationem illi praestantissimo arae ornatui intercedere cum numinibus, quorum ara sacra fuit, hinc nullis dis aram magnam attribui posse existimo nisi *θεοῖς πᾶσιν*.

Postremo testes etiam citari possunt cum illi tituli supra allati, qui aetate Eumenis sacra *πάντων θεῶν* publica Pergami floruisse docent tum illa ara ab Eumene dedicata (supra 48, 1 a), quae in domo regia forsitan steterit, titulum prae se ferens: *Β[ασιλεὺς] Εὐμένης θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις*.

Titulum igitur arae magnae sic restituendum esse credam:

[Βασιλεὺς Εὐμένης βασιλέως Ἀττάλου καὶ βα]σι[λ]ίσσ[ης Ἀπολλωνίδος ἐπὶ τοῖς γεγενημένοι]ς ἀγαθ[οῖς θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις].

4. Sacra mystica. Pergami hymnorum qui dicuntur Orphicorum libellum conscriptum esse magna cum probabilitate ostendit O. Kern.[2]) Quem librum a sodalitate Bacchica Orphica in sacris adhibitum esse summo iure mihi videtur statuisse A. Dieterich.[3]) Invocantur autem hymn. XXXV, 6

[1]) Cf. C. Robert l. c.

[2]) *Hermes* XLVI, 1911, 431 ss.

[3]) De hymnis Orphicis, Marpurgi 1891, 24 (= *Kleine Schriften* 86). Dieterichio antea assensus Kern postea contra a Cereris sacerdotibus Pergamenis hymnorum librum compositum esse iudicavit propterea quod et in hymnis Orphicis et in Cereris delubro religio Eleusinia, in utroque eadem ex parte numina occurrerent, illi denique arae *τῷ Παν̓θείῳ* consecratae

Latona, hymn. LIII, 9 Amphietes (Dionysus *χθόνιος*) sic:

βαῖν' ἐπὶ πάνθειον τελετήν

et hym. LIV 7 Silenus, Satyri, Bacchae sic:

δεῦρ' ἐπὶ πάνθειον τελετήν.

Hanc *πάνθειον τελετήν* intellegendam esse *πάντων θεῶν τελετήν* primus vidit E. Maass.[1]) Sumendum ergo est, quibuscumque diebus illi tres hymni a sacra facientibus sive cantati sive recitati sint, iisdem omnia illius delubri Orphici numina hymnis sacrisque a mystis culta esse.

Colebantur autem in hoc delubro una cum Baccho, mystarum duce, ingens ille deorum numerus, quorum hymni hoc libro comprehenduntur. Pariter in eo atque in Cereris fano Pergameno[2]) permultas existimem stetisse aras, in quibus illi dei suo quisque die et in sua quisque ara ea acceperint sacra, quae „in exordio uniuscuiusque fere hymni superadscribuntur quibusque ut intersint in fine hymnorum certis formulis numina implorantur". Diebus autem certis simili modo atque Olympiae[3]) in omnibus fani aris sacrificatum esse credam, omnium deorum Orphicorum mysteria acta esse.

Restat ut agamus de primo libri Orphici carmine, quod in codicibus *Εὐχὴ πρὸς Μουσαῖον* inscribitur. In quo carmine is, qui libellum composuit, Musaeum inducit sic ab Orpheo initiatum:

Μάνθανε δή, Μουσαῖε, θυηπολίην περισεμνήν,
εὐχήν, ἣ δή τοι προφερεστέρη ἐστὶν ἁπασέων.

(supra p. 48, 1 f) optime conveniret illa trium hymnorum *πάνθειος τελετή* hoc loco tractanda. At ipse mirum esse confitetur inter permulta dona in Cereris delubro reperta diversissimisque dis data nullum exstare Baccho dedicatum, qui deus in hymnis summum inter omnia numina tenet locum. Quare Bacchi quoque delubrum quoddam hymnorum particeps fuisse existimavit. Equidem fieri posse negem, ut hymnorum liber „certo quodam ordine, ex parte quidem ad normam theogonicae cuiusdam Orphicae" dispositus in duas partes tamquam dissecetur, neque dubito, quin omnia hymnorum numina in eodem delubro Orphico culta sint. Inter tantam autem numinum turbam in utroque fano cultorum ex parte eadem numina inveniri mirum non est. Id quoque nescio an acciderit, ut hymni numinum Eleusiniorum e Cereris delubro ad mystas Orphicos venerint, ut alii fortasse ex aliis sacris. (Cf. E. Maass, *Orpheus* 192).

[1]) *Tagesgötter*, Berolini 1902, 293 ss.

[2]) Vide supra p. 48, 1 e, f.

[3]) Vide supra p. 52 nota 1.

Sequitur *εὐχή* ipsa, quae plus septuaginta deos deasque nominatim invocat

εὐμενίας ἐλθεῖν κεχαρημένον ἦτορ ἔχοντας
τήνδε θυηπολίην ἱερὴν σπονδήν τ' ἐπὶ σεμνήν.

Quod carmen esse „breviarium et summam opusculi, liberam tamen nec numero deorum dearumque serviliter adstrictam" Godofredus Hermann (in editione hymn.), libelli prooemium Dieterich, alii dixerunt; equidem potius verum hymnum in *πάντας θεούς*[1]) intellego neque dubito, quin hoc quoque carmen pariter atque cetera libelli omnia ad usum religiosum factum[2]) et in fano Orphico adhibitum sit. Nam cum ab eo ipso, qui hoc carmen primum omnium collocavit duosque initii versus addidit, haec omnium deorum invocatio designatur *εὐχή* tum carmen in eandem atque ceteri hymni exit clausulam, quae docet hunc hymnum ad *θυηπολίην καὶ σπονδήν* cantatum esse. Forsitan ut in Cereris fano Pergameno multisque in aliis ita in delubro Orphico ara steterit cum titulo *θεοῖς πᾶσιν* sive *τῷ Πανθείῳ*, in qua ara haec ipsa *θυηπολίη καὶ σπονδή* fiebat.[3])

[1]) Cf. Procli philosophi *ὑμνὸν κοινὸν εἰς θεούς* (Abel, Orphica 280, IV). Ad *πάντας θεούς* colendos carmen Orphicum spectare praeter istam numinum turbam ipsam maxime versus huius generis ostendunt: (v. 1) *Ζεῦ βασιλεῦ καὶ Γαῖα καὶ οὐράνιοι φλόγες ἄγναι | Ἠελίου Μήνης θ' ἱερὸν σέλας, ἄστρα τε πάντα.* v. 32 *Δαίμονας οὐρανίους τε καὶ εἰναλίους καὶ ἐνύδρους | καὶ χθονίους καὶ ὑποχθονίους, ἰδ' ἡεροφοιτούς* (sc. *κικλήσκω*). Quem autem tot deorum nominatim invocatorum coacervatio offendat, conferat litaniam omnium sanctorum in ritu catholico usitatam.

[2]) *Εὐχή* si verus omnium deorum hymnus intellegitur, id quoque optime illustratur, quod in ea multa numina, quae proprios hymnos non habent, invocantur, multa, quae hymnis propriis celebrantur, non invocantur.

[3]) Omnium deorum invocationi in codicibus adiungitur nullo spatio intermisso Hecatae hymnus, quem recte a cetera parte carminis in hymnorum codicibus seiungi existimo (contra Dieterich, Kern); eandem enim quasi structuram habet ac ceteri singulorum numinum hymni, aliam autem atque *Εὐχή*, quae nomina deorum sola coacervat. Suam vero uterque hymnus habet clausulam. Accedit, quod v. 19 iam invocatur *Διώνη*, quam deam Hecatam intellegendam esse ipse iudicavit Kern (forsitan Dione quoque Termessi culta — Lanckoronski II sub. Term. — Hecate fuerit, non uxor Iovis). Ergo illis hymnis ad normam theogoniae Orphicae dispositis duo vel tres hymni antepositi sunt: hymnus *πάντων θεῶν*, hymnus Hecatae ‚cosmicae' quasi deae Pantheae, ac si vis, hymnus *Ἑκάτης* (Artemidos!) *Προθυραίας Εἰλειθυίας.*

14. Amasiae.

Templum aut viridarium, ara.

OGIS 365 = *Revue arch.* XXVI 1873, 109 et 375. Titulus aetatis Pharnacis I (c. 185—169 a. Chr.) in rupe praerupta, cuius in culmine arx Amasiae erat, insculptus 200 metra fere super urbe prope ad sepulcra regum Ponticorum. Erravit Usener, qui hunc titulum Deli in Cynthio monte repertum esse dixit (Götternamen 346 not. 36). Imaginem photographicam D. Ermakow Trapezuntius effecit, quam cum litteris eiusdem viri Perrot publici iuris fecit l. c. 375.

Ὑπὲρ βασιλέως
Φαρνάκου Μιτρόδωρος
. . . ίου φρουραρ
[χή]σας τὸν βω
μ]ὸν καὶ [τ]ὸν
Π?]ανθεῶνα θεοῖς.

Πανθεῶνα = *Πάνθεον* = templum omnium deorum scripsi Usenerum secutus; *ἀνθεῶνα*, quod solum servatum est, retinuit Perrot, quem secutus est Dittenberger. Imago photographica in initio versus in rupe rimam profundam esse ostendit, de qua Perrot sic iudicavit: *Si c'était un accident récent, elle laisserait d'après l'écartement moyen des lettres, paraître quelques vestiges du Π, car on aperçoit très bien, sur ce point toutes les rugosités du roc.* At hanc rem gravissimam diiudicare vix quisquam potest nisi *αὐτόπτης*. Concessit etiam Perrot, ne praefracte liceret negare litteram *Π* posse intercidisse.

Ἀνθεών non novimus nisi ex Corpore glossariorum Latinorum, ubi II 227, 20 *ἀνθεών* viridarium; 501, 49 viridarium *ἀνθεών*; 528, 28 virectum onthotopos (l. *ἀνθών, τόπος*).

Πανθεών pro *Πάνθεον* non minus adhuc inaudita forma est. Mensem *Πανθεών* Neapolitanum testem citari vix licet, quoniam mensium nomina in *-ών* exeuntia vulgaria erant. Voces *Παρθενών, Νυμφών* num in comparationem vocari possint, dicere non audeo.[1]) Utraque igitur vox titulum interpretanti difficultatem affert.

[1]) Cf. Th. Reinach, *Παρθενών*, BCH 32 (1908), 449 ss. *Παρθενῶνα* (Athenis, Hermionae, Magnesiae, Aphrodisiade, Cycici) templum aut partem templi *τῆς Παρθένου* intellegendum esse negavit; Virginis enim Tauricae templum a Strabone VII 4, 2 appellatum esse *Παρθένιον*. Illa autem

Quod autem *πάντων θεῶν* fana tum floruisse Perrot negavit, eum erravisse nunc scimus. Atque sacellum *πάντων θεῶν* ‚viridario floribus consito' praeferas propter vicina illa sepulcra regum consecratorum in numero deorum omnium habendorum, quorum signa in Pantheis Ponticis insignem haud dubie locum tenebant.

Rursus, si Pantheum intellegis, tituli ipsius et *βωμός* pro templo priore positus loco et *Πανθεῶν θεοῖς* dedicatus non vacat offensione.

15. In regno Commagene.

a) Samosatae in capite templum(?) sacrificia, dies festi; b) in summo acumine Tauri *ἱεροθέσιον*, sacrificia anniversaria.

Humann-Puchstein, *Reisen in Kleinasien und Nordsyrien* (*Berlin* 1890), 272 I b = OGIS 383. Reliquiae sepulcri Antiochi I regis Commagenes (circa 70—30 a. Chr. n.).

Antiochus postremis vitae annis in altissimo Tauri montis iugo (hodie *Nemrud-Dagh*) sepulcrum magnificentissimum sibi fecit, cum in acumine tumulum ingentem (150 m diam.) et ab utroque latere eius locum sacrum solo coaequato exstruxit. Utriusque loci in parte media ara magna condita est, in parte posteriore quinque statuae ingentes deorum in soliis sedentium positae sunt (a sin. ad dext. Herculis, Commagenes, Iovis, Antiochi, Solis), a lateribus anaglypha magna maiorum Antiochi et paternorum Persicorum a Dareo incipientium et maternorum Macedonicorum ab Alexandro et Seleuco Nicatore initium capientium. Postremo a dextra et sinistra statuarum parte bina anaglypha collocata sunt, e quibus in uno horoscopum Antiochi comparet, in ceteris Antiochus a Iove, Sole, Hercule deus salutatus effingitur. Statuarum bases et anaglyphorum latera aversa plena sunt titulorum.

---

voce designari voluit aut totum templum alicuius deae aut partem templi, in quod neminem intrare fas esset nisi virgines. Etiam *Νυμφῶνα* Sicyonium (Paus. II 11, 3) non fuisse fanum Nympharum, quod *νυμφεῖον*, *νυμφαῖον* dici solitum fuisset, sed partem templi Cereris et Proserpinae nuptis novis (*νύμφαις*) reservatam; voces *Παρθενών*, *Νυμφών* eidem generi nominum attribuendas esse atque *ἀνδρών*, *γυναικών*, *ἱππών*, *προβατών*. Hanc rem me diiudicare non posse confiteor. At si certum esset in titulo Amasiae *Πανθεῶνα* pro *Πάνθεον* scriptum fuisse, etiam fieri potuisse credam, ut *Παρθενών* pro *Παρθένιον*, *Νυμφών* pro *Νυμφαῖον* diceretur.

v. 1. *Βασιλεὺς μέ]γας Ἀντίοχος Θεὸς Δίκαιος [Ἐπιφ]αν[ὴς] Φιλορωμαῖος καὶ Φιλέ[λλ]ην . . . ἔργα χάριτος ἰδίας εἰς χρόνον ἀνέγραψεν αἰώνιον.*

a) v. 25. *Ἐγὼ πατρώιαν [ἀ]ρχὴν [π]αρ[αλ]α[β]ὼν βασιλείαν [μ]ὲν ἐμο[ῖ]ς ὑπήκοον θρόνοις κοινὴν θεῶν ἁπάντων εὐσεβείᾳ γνώμης ἐμῆς δίαιταν ἀπέδειξα, μορφῆς μὲν (ε)ἰκόνας παντοίαι τέχνηι καθ' ἃ παλαιὸς λόγος Περσῶν τε καὶ Ἑλλήνων — ἐμοῦ γένους εὐτυχεστάτη ῥίζα — παραδέδωκε κοσμήσας, θυσίαις δὲ καὶ πανηγύρεσιν ὡς ἀρχαῖός τε νόμος καὶ κοινὸν ἀνθρώπων ἔθος.*

b) v. 35 *ἔτι δὲ ἐμὴ δικαία φροντὶς προσεξεῦρε τιμὰς ἐπιφανῶς γεραράς· ἐπεὶ δὲ ἱεροθεσίου τοῦδε κρηπεῖδα ἀπόρθητον χρόνου λύμαις οὐρανίων ἄγχιστα θρόνων καταστήσεσθαι προενοήθην . . ., τότε δὴ καὶ τόνδε χῶρον ἱερὸν ἁπάντων κοινὸν ἀναδεῖξαι θεῶν ἐνθρόνισμα προειλάμην, ὅπως μὴ μόνον ἐμῶν προγόνων οὗτος ὃν ὁρᾶς ἡρῶ(ο)ς λόχος ἐμαῖς ἐπιμελείαις ὑπάρχῃ καθιδρυμένος, ἀλλὰ καὶ δαιμόνων ἐπιφανῶν θεῖος τύπος ἐν ἁγίοι λόφωι καθοσιωθεὶς μηδὲ τόνδε τὸν τόπον ὀρφανὸν ἐμῆς εὐσεβείας ἔχῃ μ[ά]ρτυρα. διόπερ ὡς ὁρᾶς Διός τε Ὡρομάσδου καὶ Ἀπόλλωνος Μίθρου Ἡλίου Ἑρμοῦ καὶ Ἀρτάγνου Ἡρακλέους Ἄρεως ἐμῆς τε πατρίδος Παντρόφου Κομμαγηνῆς θεοπρεπῆ ταῦτα τὰ ἀγάλματα καθιδρυσάμην ἀπό τε λιθείας μιᾶς δαίμοσι ἐπηκόοις σύνθρονον χαρακτῆρα μορφῆς ἐμῆς συνανέθηκα καὶ Τύχης νέας ἡλικιῶτιν ἀρχαίαν θεῶν μεγάλων τιμὴν ἐποιησάμην.*

Lege sacra Antiochus sanxit, ut quotannis et die natali suo et die, quo diadema accepisset, sacerdos suus ad aram communem et maioribus suis ut heroibus *ἐπιθύσεις λιβανωτοῦ καὶ ἀρωμάτων* et dis cum semet ipso *θυσίας πολυτελεῖς* sacrificaret. Sequuntur exsecrationes supra p. 27, 12 allatae.

Ad b) Antiochus in sacro sepulcri sui loco, quem *κοινὸν θεῶν ἁπάντων ἐνθρόνισμα* nominat, non deorum omnium, sed quinque solorum simulacra posuit; apparet hos ibi stetisse loco omnium. Si autem qua de causa hos quinque ex omnibus Antiochus elegerit quaerimus, horoscopo regis rem illustrari acutissime Puchstein ostendit. Iuppiter enim, Mercurius, Mars sidera natalicia Antiochi sunt. Qui Chaldaeorum di caelestes ab Antiocho cum summis dis et Persarum et Graecorum in unum confusi ortum quoque vel potius epiphaniam Antiochi

dei ut *Τύχης νέας* regni Commagenes effecerunt, quo factum est, ut sacra ipsorum antiquitus quidem a Commagenis cultorum simul cum cultu Antiochi denuo valde efflorescerent. Sedent igitur in hoc Pantheo aperto omnium deorum loco rex consecratus et tales 'di magni', quibus artissima cum rege intercedit ratio.

Ad a) Profitetur Antiochus sese initio regni totam Commagenam omnibus dis domicilio communi sollemniter dedicavisse. Quonam modo conspicuo? Valde hoc titulo verisimile fit Antiochum dis Persicis, Graecis Commagenisque, quantum fieri potuit, in unum confusis Samosatae in capite aut templum commune aedificavisse aut — id quod probabilius esse putaverim — in Pantheo, quod quin tum Samosatae iam fuerit vix est dubium, novas deorum statuas pariter atque in hierothesio ornatas posuisse. In hoc templo illis quinque dis in hierothesio sedentibus locum tributum esse praestantissimum pro certo habendum est.

Praeterea rex, cum diadema accepit, dis omnibus splendidissima sacrificia fecit — in Pantheo scilicet — diesque festos in honorem eorum egit.

16. Palmyrae.

Templum (?).

Jahrb. d. Inst. XVII 1902, *Beiblatt* 8, 21 haec leguntur: „*E. Littmann, Früh-Palmyrüische Inschriften* (dat. 28/29 u. 70/71, 132 A.D. *Der sogenannte Sonnentempel darin als ‚Pantheon' bezeichnet*").

Ipse quamquam magnopere operam dedi, titulum, quo praeclarissimum Palmyrenorum templum Pantheum nominatum esse dicitur, adhuc inspicere non potui. Nescio an agatur de hoc titulo: *Publications of an American Expedition in Syria*, Pars III 52. *‚On the face of a bracket, on a column in the eastern portico of the „Tempel of the Sun" near the northeast corner the Greek part of a much mutilated bilingual inscription ... The Palmyrene texte is below the Greek: it is published by Dr. Littmann in* Pars IV, 59 ss.

‚This is the portrait of Mokimu ... which was set up to him by the community (?) of *all the Palmyrenes* [*at their own expense, because (?)*] *he offered (?) tho the house of their gods ...* (titulus Graecus v. 3 *διδόντα ἐξ ἰδίων εἰς [τὸ ἱε]ρόν ...*).

Opinor in templo Solis signa multorum *θεῶν συννάων* stetisse et hac de causa Palmyraeos hoc templum iure etiam *‚house of their gods'* nominare potuisse.

Testimonia regni Ptolemaeorum.

17. Alexandriae.

Pompa, sacrificium votumque in Pantheo factum.

1. Ludi anno 275/74 a Ptolemaeo Philadelpho splendidissime acti initium ceperunt a pompa, in qua signa *πάντων θεῶν* circumlata sunt (cf. supra 64, 8, 2 pompam Antiochensem).

Athenaeus V 197 d, ex Callixene Rhodio (circa 200 a. Chr.).

Ποιησόμεθα καὶ τὴν τῆς πομπῆς ἐξήγησιν·
ἦγετο γὰρ διὰ τοῦ κατὰ τὴν πόλιν σταδίου· πρώτη δ' ἐβάδιζεν [ἡ] Ἑωσφόρου· καὶ γὰρ ἀρχὴν εἶχεν ἡ πομπή, καθ' ὃν ὁ προειρημένος ἀστὴρ φαίνεται χρόνον· ἔπειθ' ἡ τοῖς τῶν βασιλέων γονεῦσι κατωνομασμένη· μετὰ δὲ ταύτας αἱ τῶν θεῶν ἁπάντων οἰκείαν ἔχουσαι τῆς περὶ ἑκάστων αὐτῶν ἱστορίας διασκευήν· τὴν δὲ τελευταίαν Ἑσπέρου συνέβαινεν εἶναι τῆς ὥρας εἰς τοῦτον συναγούσης τὸν καιρόν.

202 a. Pompam parentum regis consecratorum, Ptolemaei Soteris et Berenicae, *θεῶν Σωτήρων*, subsequebatur splendidissima Bacchi, *ἀρχηγοῦ* gentis Ptolemaeorum (a Callixeno fuse descripta), *καὶ μετὰ ταῦτα Διὸς ἦγετο πομπὴ καὶ ἄλλων παμπόλλων θεῶν καὶ ἐπὶ πᾶσιν Ἀλεξάνδρου* (quae item accurate describitur), *ὃς ἐφ' ἅρματος ἐλεφάντων ἀληθινῶν ἐφέρετο χρυσοῦς, Νίκην καὶ Ἀθηνᾶν ἐξ ἑκατέρου μέρους ἔχων.*

Ludos, ad quos pompa pertinet, in honorem *θεῶν Σωτήρων* actos esse probabilissimum est;[1]) pompam ipsam igitur adornatam

[1]) Ad Alexandrum ludos rettulit W. Otto (*Priester u. Tempel im hellenist. Aegypten* I 145 ss.) ratus tum ossa Alexandri Memphis Alexandriam traducta et sacerdotium Alexandri eponymum institutum esse. At hoc sacerdotium anno 273 nondum fuisse nunc scimus (Kaerst, *Geschichte des hellenist. Zeitalters* II 1, 397 not. 1). Dis Soteribus ludos attribuit Prott (*Rhein. Museum* 53 (1898), 461), quem sequor his de causis. Primum quidem Ptolemaei I cultum post annum 279 in cultum *θεῶν Σωτήρων* mutatum esse scimus e Theocriti idyll. XVII v. 123 et schol. ad Theocr. (Frag. hist. Graec. II 374, 15). Id ipsum tum videtur factum esse. Deinde: *ἐστεφανώθησαν δ' ἐν ἀγῶνι ... Πτολεμαῖος μὲν ὁ πρῶτος καὶ Βερενίκη εἰκόσι*

tam ingenti agmine deorum ductam esse ad gloriam *θεῶν Σωτήρων* totiusque gentis regiae augendam apertum est.

2. Vota (cirrum et sacrificia taurina) a regina Berenica, uxore Ptolemaei III Euergetae (247—222 a. Chr.), pro victoria et reditu coniugis ad bellum Syriacum (c. 246—44) profecturi facta et bello feliciter confecto soluta memoriae prodidit Catulli carmen LXVI, qui poeta convertit carmen Callimachi *πλόκαμος Βερενίκης* inscriptum. Cuius carminis fragmentum huc pertinens servavit Schol. Arat. 146 p. 363 Maass:

Κόνων δὲ ὁ μαθηματικὸς Πτολεμαίῳ χαριζόμενος Βερενίκης πλόκαμον ἐξ αὐτῶν (τῶν τῆς Παρθένου ἀστέρων) κατηστέρισε. τοῦτο καὶ Καλλίμαχός πού φησι (fr. 34 Schn.).

ἦ με Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι, τὸν Βερενίκης
βόστρυχον, ὅντ' ἄρα κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

quos versus Catullus *παραφράζει* vs. 7—10.

Catull. vs. 7 ss. Kroll

Idem me ille Conon caelesti in lumine vidit
E Bereniceo vertice caesariem
Fulgentem clare, quam cunctis[1]) illa deorum[1])
Levia protendens bracchia pollicita est,
Qua rex tempestate novo auctus hymenaeo
Vastatum finis iverat Assyrios.
v. 33. Atque ibi me cunctis pro dulci coniuge divis
Non sine taurino sanguine pollicita's,
Sei reditum tetulisset. Is haut in tempore longo
Captam Asiam Aegypti finibus addiderat.
Quis ego pro factis caelesti reddita coetu
Pristina vota novo munere dissoluo.
v. 51. Abiunctae paulo ante comae mea fata sorores
Lugebant, cum se Memnonis Aethiopis
Unigena inpellens nictantibus aera pennis
Obtulit Arsinoes † Locridos ales equos
Isque per aetherias me tollens avolat umbras
Et Veneris casto collocat in gremio.

τρισὶ ἐφ' ἁρμάτων χρυσῶν καὶ τεμένεσιν ἐν Δωδώνῃ (Athenaeus 203 a). Post is, quem di Soteres in pompa *πάντων θεῶν* tenent, locus haud dubie valde insignior est loco Alexandri, qui agmen deorum claudit.

[1]) Recognitio Hauptii; codd.: multis illa dearum. Cf. Krollii editionem. De papyro Florentino cf. Ed. Fraenkel *Gnomon* V 1929 p. 265 ss.

Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat
Graia Canopieis incola litoribus.
v. 63. Uvidulam a fluctu cedentem ad templa deum me
Sidus in antiquis diva novom posuit.

Ad vs. 51 ss.

'Berenicam damnatum crinem in Veneris Arsinoës Zephyritidis posuisse templo' in promunturio Zephyrio ad Canopum sito Hyginus interpretatus est (poet. astr. 2,24), quem multi viri docti secuti sunt;[1]) sed Wilamowitzius, qui cum de toto carmine tum de his versibus subtiliter disseruit, demonstravit cirrum positam esse in templo *πάντων θεῶν* Alexandriae sito.[2]) Cirrum non posse collocatum esse in templo Canopieo evidenter intellegitur e vs. 56/57, ubi 'Canopieis incolam litoribus' legimus famulum suum in alium locum i. e. templum Alexandrinum misisse, ut cirrum apportaret.[3])

Pantheum igitur quin in capite regni Ptolemaeorum anno a. Chr. n. 246 fuerit, minime dubium esse potest. Atque in eo signa *θεῶν Σωτήρων*, *θεῶν Φιλαδέλφων* (parentum regis) cum signo Dionysi, fortasse Alexandri quoque signum inter ceterorum deorum simulacra locum insignem obtinuisse e pompa *πάντων θεῶν* supra allata colligere licet.

Testimonia insularum.

18. Amathunte (Cypri).

Templum.

Le Bas-Waddington, *Voyage archéologique* III 2822. Circa saec. I a. vel p. Chr. n.; templum ab homine privato exstructum.

Ἀπὸ τοῦ Ἡραίου ἕως τοῦ λιθοστρώτου τὰ δένδρα Σίμος ἐφύτευσε καὶ ἀνέθηκεν τοῖς θεοῖς καὶ τὸν ναόν· ὃς ἂν δέ τι τούτων ἐξαλείψῃ, οἱ θεοὶ αὐτῷ μὴ γένοιντο εἵλεως.

[1]) Cf. Catullum ed. Alex. Riese. Lips. 1884, 201 ss.

[2]) U. v. Wilamowitz-Moellendorff, *Reden und Vorträge* I[4] 1925, 197 ss.; 211 n. 1: *Das Pantheon ist V. 9 u. 37 genau bezeichnet, und es versteht sich von selbst, daß der Tempel, in welchem die Locke geweiht, aus dem sie entführt war, gemeint sein mußte.*

[3]) Firmissime Wilamowitzius ostendit cirrum non a Zephyro in caelum, sed a struthione in gremium Veneris Canopum abductum esse, unde ad exemplum stellarum veterum sidus novum e mari emersus iussu vel potius favore deae ad caelum ascendisset.

19. Aegiolae (Amorgi).

Templum.

IG XII 7, 433 = Rossius ed. Acta soc. Gr. Lips. II 77, VII. 'In ruderibus Aegiolae prope reliquias antiqui delubri; litterae bonae altero a. Chr. n. saeculo non recentiores; addit Rossius: Fortasse fuit templum omnium deorum commune.'

Κριτόλαος Ἀλκιμέδοντος
τὸν ναὸν θεοῖς καὶ τῶν δήμωι.

Titulus Pantheum prae se fert ab homine privato aedificatum et in possessionem curamque populi delatum.[1])

20. Rhodi.

Precatio, sacrificium, *πρόσοδος*.

Michel, *Recueil* 21 = Cauer, Delectus inscr. Graec. 181. Saec. a. Chr. n. III exeuntis.

Θεός Τύχα ἀγαθά.

Ἔδοξε τῶι δάμωι ἀγαθᾶι τύχαι·

εὔξασθαι μὲν τοὺς ἱερεῖς καὶ τοὺς ἱεροθύτας τῶι Ἁλίωι καὶ τᾶι Ῥόδωι καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις καὶ τοῖς ἀρχηγέταις καὶ τοῖς ἥρωσι, ὅσοι ἔχοντι τὰν πόλιν καὶ τὰν χώραν τὰν Ῥοδίων συνεγκεῖν Ῥοδίοις καὶ Ἰεραπυτνίοις τὰ δόξαντα περὶ τᾶς συμμαχίας, ἐπιτελέων δὲ τᾶν εὐχᾶν γενομέναν θυσίαν καὶ πόθοδον ποιήσασθαι, καθ' ἃ κα δόξηι τῶι δάμωι.

Cuius tituli preces votaque ab omnibus oppidi sacerdotibus communiter in Pantheo facta esse arbitror ad idemque templum sacrificium et pompam postea facienda refero. Ἱεροθύται quidem ad *ἱεροθυτεῖον* = *ἑστίαν κοινήν* spectant, sed in hac aede si sacra essent facta, una cum *Ἁλίῳ καὶ Ῥόδῳ* Vestam eamque primam nominatim invocari populum iussisse existimem. In Pantheo Rhodio Sol, quem apud Rhodios summa auctoritate usum esse constat, et Ῥόδος, oppidi dea tutelaris, locum praestantissimum videntur tenuisse.

21. Ii.

Precatio.

IG XII 5, 8. Reliquiae decreti populi; 'litterae bonae altera parte tertii a. Chr. n. saeculi incisae esse videntur.'

[1]) Sic de simili titulo iudicavit Wilamowitz.

εὔξασθαι τοὺς ἱερεῖ]ς τῶι τε Διὶ τῶι Πολιεῖ καὶ τῆι Ἀθηνᾶι τ[ῆι Πολιάδι καὶ θεοῖς π]ᾶσι καὶ πάσαις ἐπ' ἀγαθῆι τύχηι καὶ σωτη[ρίαι ἡμῶν, ἀνανεῶσαι δὲ τ]ὴμ φιλίαν καὶ τὴν συμφωνίαν τὴμ πρὸς Ῥ[οδίους..., κ]αθ' ἃ καὶ [Ῥ]όδιοι παρακαλοῦσι.

Testimonia Graeciae.

22. Athenis.

a) Templum.

Paus. I 18, 9. *Ἁδριανὸς δὲ κατεσκευάσατο μὲν καὶ ἄλλα Ἀθηναίοις, ναὸν Ἥρας καὶ Διὸς Πανελληνίου καὶ θεοῖς τοῖς πᾶσιν ἱερὸν κοινόν.*

Paus. I 5, 5. *ὁπόσα δὲ θεῶν ἱερὰ τὰ μὲν ᾠκοδόμησεν* (sc. Hadrianus) *ἐξ ἀρχῆς, τὰ δὲ καὶ ἐπεκόσμησεν ἀναθήμασι καὶ κατασκευαῖς ἢ δωρεὰς πόλεσιν ἔδωκεν Ἑλληνίσι, τὰς δὲ καὶ τῶν βαρβάρων τοῖς δεηθεῖσιν, ἔστι οἱ πάντα γεγραμμένα Ἀθήνησι ἐν τῷ κοινῷ τῶν θεῶν ἱερῷ.*

b) Preces. „Plebiscitum in honorem nescio cuius factum — aet. imper." v. 14. *θεοῖς εὐχόμεθα πᾶσι [. . . . δοῦναι αὐτῷ καὶ τῷ σύμπ]αντι αὐτοῦ οἴκῳ·*

23. Corinthi.

Templum.

Paus. II 2, 8. In foro: *ἔστι δὲ καὶ Τύχης ναός· — παρὰ δὲ αὐτὸν θεοῖς πᾶσίν ἐστιν ἱερόν.*

24. Orneis.

Templum.

Paus. II 25, 6. *ἔστι δὲ ἐν ταῖς Ὀρνεαῖς Ἀρτέμιδός τε ἱερὸν . . καὶ ἕτερος ναὸς θεοῖς πᾶσιν ἐς κοινὸν ἀνείμενος.*

Alia oppiduli templa a scriptore non enumerantur. Si alia erant, haec duo omnium praestantissima fuisse apparet.

25. Marii.

Templum.

Paus. III 22, 8. *ἱερόν ἐστιν αὐτόθι ἀρχαῖον κοινὸν θεῶν ἁπάντων καὶ περὶ αὐτὸ ἄλσος παρεχόμενον πηγάς.*

Praeter hoc templum a Pausania commemoratur nullum.

26. Messenes.

Ἱεροθύσιον = Pantheum.

Paus. IV 32, 11. *τὸ δὲ ὀνομαζόμενον παρὰ Μεσσηνίων ἱεροθύσιον ἔχει μὲν θεῶν ἀγάλματα, ὁπόσους νομίζουσιν Ἕλληνες, ἔχει δὲ χαλκῆν εἰκόνα Ἐπαμεινώνδου.*

ἱεροθύσιον = ἱεροθυτεῖον idem est atque *πρυτανεῖον* vel *ἑστία κοινή*. ἱεροθύται Messeniorum occurrunt CIG 1297.

Hierothysium Messeniorum scriptor tradidit saeculo p. Chr. n. II non Vestae solius sacrum fuisse, sed omnium simul deorum itaque sacrificia in eo facta omnium deorum fuisse communia.

In comparationem complures insulae Syri titulos saeculi p. Chr. n. II et III voco IG XII 5, 659—667:

ὁ στεφανηφόρος ἄρχων ἐπώνυμος ὁ δ. σὺν ἀρχείνῃ τῇ δ. ἁπάσ[ας τε τὰ]ς νομιζομένας θυσίας ἐκαλλιέρησεν δι' ὅλου ἐνιαυτοῦ Ἑστίᾳ Πρυτανείᾳ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις.

Praeterea cf. Atheniensium sacra in prytaneo facta supra 9,2.

27. Olympiae.

28. In confinio Elidis veteris et Pisatidis.

Πάνθειον.

1 a) Schol. Pind. Olymp. III 60. Pindari verba, quibus Herculem oleastrum (*κότινον*) e terra Hyperboreorum Olympiam transtulisse narratur, scholiastes sic interpretatur:

τὸ Πάνθειον, ἐν ᾧ πεφύτευται ἡ ἐλαία· ἦν δρέπει ἀμφιθαλὴς παῖς χρυσῷ δρεπάνῳ κλάδους ιζ' τέμνων, ὅσα καὶ τὰ ἀγωνίσματα.

b) Schol. Pind. Olymp. VIII 12. Pindari verbis *ὦ Πίσας εὐδένδρου ἐπ' Ἀλφεῷ ἄλσος* haec addit explicator:

πρὸς αὐτὸ τὸ τῆς Πίσας ἄλσος διαλέγεται· ἢ πρὸς τὸ Πάνθειον, ὅπου αἱ ἐλαῖαι φύονται· ἢ πρὸς τὸν τόπον, ὅπου αἱ ἀνδριάντες τῶν νικησάντων ἀνάκεινται.

Haec scholia qua aetate scripta sint, pro certo dici non potest; aetati satis antiquae, fortasse saeculo a. Chr. n. II scholia Pindarica attribuenda esse viri docti cum probabilitate iudicaverunt.[1])

[1]) Cf. Wilamowitz, Heracles I[1], 169ss; H. Jordan, Symbolae ad historiam relig. Ital. (Index lectionum in Regia Academia Albertina 1883) 9.

Panthei nomen his duobus scholiis ei loco sacro datur, in quo celeberrimus ille oleaster Olympiacus constitit. De huius Panthei situ cf. Paus. V 15, 3: *κατὰ δὲ τὸν ὀπισθόδομον* (scil. templi Iovis Ol.) *μάλιστά ἐστιν ἐν δεξιᾷ πεφυκὼς κότινος· καλεῖται δὲ ἐλαία καλλιστέφανος . . .· τούτου πλησίον τοῦ κοτίνου πεποίηται Νύμφαις βωμός· καλλιστεφάνους ὀνομάζουσι καὶ ταύτας.* Ara *πάντων θεῶν*, quam Pausanias commemorat (cf. supra 52, 10a), num prope ad oleastrum i. e. in Pantheo steterit, e scriptore intellegi non potest. Enumeratur quidem ara *πάντων θεῶν* una cum ara *Ἥρας ἐπίκλησιν Ὀλυμπίας*, quam aram prope ad templum Iovis Olympii stetisse haud improbabile est; idemque de *ἐλαίᾳ καλλιστεφάνῳ* scriptorem tradidisse vidimus. Saeptam fuisse arborem sacram Henr. Iordanus e Phlegontis, aequalis Pausaniae, *περὶ θαυμασίων* libro hausit, ubi haec narrari dicit: ‚Iphitus oraculo monitus, ut arborem quaereret coronis faciendis aptam *παραγενόμενος ἐς Ὀλυμπίαν πολλῶν ἐν τῷ τεμένει κοτίνων ὄντων εὑρὼν ἕνα περιεχόμενον ἀραχνίοις περιῴκοδόμησεν αὐτὸν καὶ τοῖς νικῶσι ἐξ αὐτοῦ ἐδόθη ὁ στέφανος.* Mirum est, quod Pausanias neque hanc fabulam neque Panthei nomen commemorat. Confirmari scholiorum testimonium videtur historiola nunc tractanda.

2. Liber Pseudaristotelicus, qui inscribitur *περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων*, ‘in ea primitiva parte, quam inter Aristotelis scripta lectam esse altero a. Chr. n. saeculo nunc quidem constat’,[1]) inter alias mirabiles auscultationes hanc historiolam praebet, quae quidem una cum proxima ‘alienam spem habere ordinemque turbare’ videtur.[1]) Quare facile crederem eam ab interpolatore aetatis recentioris libro insertam esse, nisi repugnaret praestantia scholiorum Aristophanicorum et Theocriticorum (Pindaricorum?) infra afferendorum, quae eiusdem historiolae notitiam e libro Pseudaristotelico repetiverunt.

a) *Περὶ θαυμασίων ἀκ.* 51 ed. O. Apelt p. 58.

Ἐν τῷ Πανθείῳ ἐστὶν ἐλαία, καλεῖται δὲ καλλιστέφανος· ταύτης πάντα τὰ φύλλα ταῖς λοιπαῖς ἐλαίαις ἐναντία πέφυκεν· ἔξω γάρ, ἀλλ' οὐκ ἐντὸς ἔχει τὰ χλωρά. ἀφίησί τε τοὺς πτόρθους ὥσπερ ἡ μύρτος εἰς τοὺς στεφάνους συμμέτρως. [ἀπὸ ταύτης δὲ φυτὸν λαβὼν ὁ Ἡρακλῆς ἐφύτευσεν Ὀλυμπιάσιν, ἀφ' ἧς

[1]) Jordan l. c.

οἱ στέφανοι τοῖς ἀθληταῖς δίδονται.][1] ἔστι δὲ αὕτη παρὰ τὸν Ἴλισσὸν[2] ποταμόν, σταδίους ἑξήκοντα[3] τοῦ ποταμοῦ ἀπέχουσα· περιφκοδόμηται δέ, καὶ ζημία μεγάλη τῷ θιγόντι αὐτῆς ἐστίν. ἀπὸ ταύτης δὲ τὸ φυτὸν λαβόντες Ἠλεῖοι ἐφύτευσαν ἐν Ὀλυμπίᾳ καὶ τοὺς στεφάνους ἀπ' αὐτῆς ἔδωκαν.

b) Schol. Venet. Aristoph. Plut. 583 eandem historiolam praebet paulum modo variatam in his 1) σταδίους ξ' τοῦ ἱεροῦ ἀπέχουσα 2) ἀπὸ ταύτης ἔφερον λαβόντες οἱ Ἠλεῖοι τῶν ἀθλητῶν ἐν Ὀλυμπίᾳ τοὺς στεφάνους. Scholiastam exscripsisse Pseudaristotelem verba docent historiolae praeposita: Ἀριστοτέλης δὲ οὕτω φησὶ κατὰ λέξιν περὶ αὐτῆς (sc. arboris Olympicae).

c) Suidas s. v. κοτίνου στεφάνῳ compilavit scholiastam modo citatum.

d) Scholia vetera in Theocr. id. IV 12: ὁ Ὀλυμπιακὸς στέφανος ἐκ τῆς καλλιστεφάνου ἐλαίας λεγομένης δίδοται, ἥτις ἀπέχει σταδίων ὀκτώ, ὡς φησιν Ἀριστοτέλης. Hoc quoque scholium ex eadem historiola emanasse vulgo dicunt.

Pantheum, quod historiola tradit, scholiastae videntur intellexisse Olympiae situm rati scilicet ἐλαίαν καλλιστέφανον huius narrationis ad praeclarissimam spectare ἐλαίαν καλλιστέφανον Olympicam. Atqui non arborem Olympicam ipsam, sed eius matricem hic designari apparet. Ceteris tollendis historiolae difficultatibus — primum quod uno tamquam spiritu et Hercules et Elei arborem Olympicam plantavisse dicuntur, tum quod matrix eius ad Ilissum, flumen Atticae, stetisse traditur — iam scholiastes Aristophanicus, post eum multi viri doctissimi, inter quos Hemsterhusius et Iordanus eminent, valde operam dederunt.

Hemsterhusius pro Ἴλισσόν, flumen Atticum, scribendum esse Ἔλισσαν vel Ἐλίσσονα aut Ἐλίσοντα, flumen Eleum,[4] sagaciter opinatus est; duplicem igitur oleastrum admitten-

[1] *[ἀπὸ ... δίδονται]* uncis inclusi; vide infra p. 88.

[2] Cum Hemsterhusio legendum esse putaverim Ἐλίσοντα; vide infra p. 86 s.

[3] Hemsterh. ξξ, optime.

[4] Strabo VIII 3, 4. αὐτοῦ δέ που καὶ ὁ Ἐλίσων ἢ Ἔλισα ῥεῖ ποταμὸς ἐν τῇ λεχθείσῃ μεθορίᾳ (Elidis et Pisatidis). Cf. Theocriti idyll. XXV 9: ἀλλ' αἳ μέν ῥα νέμονται (sc. boves Augeae) ἐπ' ὄχθαις Ἐλίσσοντος, | αἳ δ' ἱερὸν θείοιο παρὰ ῥόον Ἀλφειοῖο.

dum esse, alterum, quem Hercules ab Hyperboreis delatum non procul ab hoc flumine consevisset, alterum, quem postmodum Elei, ludorum Olympicorum praesides, hinc Olympiam transtulissent.[1]

Iordanus contra existimavit 'Pseudaristotelem non eorum vestigia legere, qui Herculem Olympicam arborem ab Hyperboreis petisse narrarent, verum narrationem plane singularem auctoris incerti referre hanc: Herculem ex olea, quae fuisset prope Ilissum Atticum, surculum decerpsisse eumque Olympiae plantasse; hanc oleam Atticam superstitem esse eodemque et nomine claram et religione sanctam esse atque Olympicam: *Πάνθειον* autem dici locum, ubi consisteret.'[2] Quod idem fecisse dicuntur et Hercules et Elei, 'duas historiolas easque gemellas non tam contaminatas quam alteram alteri quasi adglutinatam esse' Iordanus voluit.

Heynius vero omnia quae vocem δίδονται sequerentur ab aliena manu addita esse arbitratus est.[3]

Quarum coniecturarum nulla mihi videtur probabilis praeter unam illam Hemsterhusii, quem coniecisse vidimus pro Ἴλισσὸν legendum esse Ἐλίσοντα. Hac ipsa coniectura obscurae historiolae illustrandae tamquam viam patefieri existimo. Elisonti enim proximum fuisse probabilissime statuit Partsch[4] praeclarissimum fontem Pieram, ad quem sacris lustralibus factis omnes ludos Olympicos duplici sedecim feminarum choro et duobus ἑλλανοδικοῦσι Ἠλείων aperiendos fuisse Pausanias narrat.[5] Atque ex his caerimoniis E. Curtius collegit ibidem Eleos in luco sacro ante ludos Olympicos institutos una cum civitatibus finitimis certis temporibus ludos egisse. Quae si ita sunt, illam historiolam eiusque Pantheum haud inepte ad hunc lucum prope Elisontem situm referre mihi videor.

Duae restant difficultates. Legitur in historiola arborem

[1] Aristoph. Plut. ed. Hemsterh., 180—186.

[2] Iordanum sequitur Wilamowitzius, *Pindaros* 209: *Später hieß der Platz des Baumes* (scil. arboris Olympicae) *Πάνθειον und war das Abschneiden der Reiser eine feierliche Zeremonie. Und dann behaupteten die Athener, Herakles hätte einen Ableger von einer ἐλαία καλλιστέφανος geholt, die am oberen Ilissos stand, und nannten auch diesen Ort Πάνθειον.*

[3] De mirabilibus auscultationibus ed. Beckmann 414 not.

[4] Olympia I, 7.

[5] Vide ibid. 19.

miram Pantheumque *παρὰ τὸν ποταμὸν σταδίους ἑξήκοντα* (schol. Aristoph. numeri signum ξ') *τοῦ ποταμοῦ ἀπέχειν*. Probabilis est coniectura Hemsterhusii, qui opinatus est pro ξ' primo scriptum fuisse ἓξ; 'cuius voculae prima littera cum forte evanuisset, ξ pro numeri signo fuisse acceptum et peperisse ἑξήκοντα'. Facile etiam alteram difficultatem tolli posse arbitror. Quoniam Hercules oleastrum ab Hyperboreis Olympiam transtulisse vulgo ducebatur, a limine improbabile est fabulam quandam Eleorum dixisse Herculem, auctorem ceterum gentis Spartiatarum, e luco Eleo oleastrum Olympiam portasse. Probabile autem est Eleos dixisse semet ipsos oleastrum Olympiae plantasse. Quare hinc iam concludere licet verba *ἀπὸ ταύτης* — *δίδονται* interpolata esse. Quod verisimillimum eo fit, quod iis ipsis verbis textum historiolae interrumpi apparet. Historiolam ipsam autem primo e libro res fabulasque Eleorum continente haustam esse credam.

Quae si recte de re universa iudicavimus, apparet saeculo fere a. Chr. n. altero, quod tempus scholia cum probabilitate indicare iam supra commemoravimus, Pantheum, nominatum i. e. *θεοῖς πᾶσι* consecratum fuisse lucum sacrum in confinio Elidis et Pisatidis situm, in quo sanctissimi oleastri Olympici matricem esse Elei dicebant.

Eodem tempore arboris Olympicae ipsius locum item nominatum esse Pantheum scholia Pindarica, ut supra vidimus, docent. Ut autem nomen *καλλιστεφάνου* arbor Elea haud dubie petivit ab arbore Olympica, ita verisimile est Pantheum quoque Eleum nominatum esse ab Olympico.

Testimonia Italiae.

29. Neapoli.

Mensis. IG XIV 759. Titulum, qui Aristionis cuiusdam testamentum continet, propter litteras et proprietates grammaticas (*γεινέσθω*) saeculo fere I p. Chr. n. attribuo.

v. 15. *Τοὺς δὲ χαλκοὺς οἱ δεδανεισμένοι καταφερέτωσαν τ[ῇ] ἑβδόμῃ τοῦ Πανθεῶνος μηνὸς ἱσταμένου εἰς ἀγγάρει[ν] πληθύουσαν καὶ ἐπιψηφιζέτω ἡ φρητρία, (ο)ἷς θέλει δανίζε[ιν]. καὶ οὕτως τότε ἄλλη οἰκονομία γεινέσθω καθ' ἕκαστον [ἔ]τος.*

ἑβδόμῃ· Neapoli quin hac aetate calendarium quoque Iulianum in usu fuerit, cum vix sit dubium, dies septimus nescio an intellegi possint Nonae, ita ut mensis *Πανθεών* respondeat uni ex mensibus Martio, Maio, Iulio, Octobri. Usura autem quoniam certis anni temporibus fortasse solvebatur, hinc ab homine huius rei perito nescio an Pantheonis intra annum Neapolitanum locus accuratius terminari possit.

30. Romae.

Pompa, templum, sacerdotes mystici.

1. Pompa, cuius descriptionem a Fabio Pictore (saec. III a. Chr. n. ex.) petivit Dionysius Hal. VII 72, 1 ss.

Πρὶν ἄρξασθαι τῶν ἀγώνων (circensium quotannis in honorem Iovis actorum) *πομπὴν ἔστελλον τοῖς θεοῖς οἱ τὴν μεγίστην ἔχοντες ἐξουσίαν ἀπὸ τοῦ Καπιτωλίου τε καὶ δι' ἀγορᾶς ἄγοντες ἐπὶ τὸν μέγαν ἱππόδρομον· 13. τελευταῖα δὲ πάντων αἱ τῶν θεῶν εἰκόνες ἐπόμπευον ὤμοις ὑπ' ἀνδρῶν φερόμεναι μορφάς θ' ὁμοίας παρέχουσαι ταῖς παρ' Ἕλλησι πλατομέναις καὶ σκευὰς καὶ σύμβολα καὶ δωρεάς, ὧν εὑρεταὶ καὶ δωτῆρες ἀνθρώποις ἕκαστοι παραδίδονται, οὐ μόνον Διὸς καὶ Ἥρας καὶ Ἀθηνᾶς καὶ Ποτειδῶνος καὶ τῶν ἄλλων, οὓς Ἕλληνες ἐν τοῖς δώδεκα θεοῖς καταριθμοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τῶν προγενεστέρων, ἐξ ὧν οἱ δώδεκα θεοὶ μυθολογοῦνται γενέσθαι, Κρόνου καὶ Ῥέας, καὶ Θέμιδος καὶ Λητοῦς, καὶ Μοιρῶν καὶ Μνημοσύνης καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅσων ἐστὶν ἱερὰ καὶ τεμένη παρ' Ἕλλησι, καὶ τῶν ὕστερον, ἀφ' οὗ τὴν ἀρχὴν Ζεὺς παρέλαβε, μυθολογουμένων γενέσθαι, Περσεφόνης, Εἰλειθυίας, Νυμφῶν, Μουσῶν, Ὡρῶν, Χαρίτων, Διονύσου καὶ ὅσων ἡμιθέων γενομένων αἱ ψυχαὶ τὰ θνητὰ ἀπολιποῦσαι σώματα εἰς οὐρανὸν ἀνελθεῖν λέγονται καὶ τιμὰς λαχεῖν ὁμοίας θεοῖς, Ἡρακλέους, Ἀσκληπιοῦ, Διοσκούρων, Σελήνης, Πανός, ἄλλων μυρίων.*

Cf. Dio Cass. XLIII 45, 2. *καὶ τότε μὲν* (a. 45 a. Chr.) *ἀνδριάντα αὐτοῦ* (sc. Caesaris) *ἐλεφάντινον, ὕστερον δὲ καὶ ἅρμα ὅλον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις μετὰ τῶν θεῶν ἀγάλματα πέμπεσθαι ἔγνωσαν.* — Aetate imperatorum non dubito, quin inter deorum simulacra etiam omnium Divorum et imperatoris signa circumlata sint.

2. 'Pantheum' ad hunc diem optime servatum.

E magno numero testimoniorum Panthei Romani ea hic afferuntur, quae ad nomen et religionem templi pertinent.

a) CIL VI 896. In epistylio Panthei duo tituli leguntur, quorum alter anni a. Chr. n. 27, alter anni p. Chr. n. 202 est.

'M. Agrippa L. f. cos. tertium fecit'.

'Imp(eratores) Caes(ares) L. Septimius Severus et M. Aurelius Antoninus Pantheum vetustate corruptum cum omni cultu restituerunt'.

b) Ibid. VI 2041. Titulus anni 59 p. Chr.

'... pr(idie) idus Ianuar. in Pantheo astantibus ... fratribus Arvalibus sacrificium deae Diae indixit L. Calpurnius L. f. magister'.

c) Plin., nat. hist. XXXVI 38:

'Agrippae Pantheum decoravit Diogenes Atheniensis'.

d) Dio Cass. LIII 27. *τό τε Πάνθειον ὠνομασμένον ἐξετέλεσεν* (Agrippa). *προσαγορεύεται δὲ οὕτω τάχα μέν, ὅτι πολλῶν θεῶν εἰκόνας ἐν τοῖς ἀγάλμασι τῷ τε τοῦ Ἄρεως καὶ τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἔλαβεν, ὡς δὲ ἐγὼ νομίζω, ὅτι θολοειδὲς ὂν τῷ οὐρανῷ προσέοικεν. ἠβουλήθη μὲν οὖν ὁ Ἀγρίππας καὶ τὸν Αὔγουστον ἐνταῦθα ἱδρῦσαι τήν τε τοῦ ἔργου ἐπίκλησιν αὐτῷ δοῦναι· μὴ δεξαμένου δὲ αὐτοῦ μηδέτερον ἐκεῖ μὲν τοῦ προτέρου Καίσαρος, ἐν δὲ τῷ προνάῳ τοῦ τε Αὐγούστου καὶ ἑαυτοῦ ἀνδριάντας ἔστησε.*

e) Suidas. *Πάνθειον, τόπος. Ἀνὰ τὸ πεδίον τῆς Ῥωμαίων νεὼς ἦν κοινὸς πάντων τῶν θεῶν. Πάνθειον αὐτὸν ἐκάλουν οἱ ἐπιχώριοι.*

f) Johannis chronicon Venetum = Paul. Diac. IV 36 = Monum. Germ. hist., Script. VII 8 v. 20.

'Papa Bonafacio (IV) petente iussit (sc. imperator Phocas a. p. Chr. 608) in veteri fano, quod Pantheum vocatur, oblatis ydolatrae sordibus ecclesiam beatae semperque virginis Mariae et omnium martirum fieri, ut ubi quondam non deorum, sed demoniorum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria sanctorum.

Ibid. 9, 50. '... basilica beatae Mariae, quae aliquando Pantheum vocabatur, et conditum fuerat in honorem omnium deorum, et ibi per concessionem superiorum principum locus erat omnium martyrum'.[1])

Titulus in epistylio Panthei incisus, qui auctorem templi tradit Agrippam (ducem eius exercitus, qui victoriam Actiacam peperit, atque imperatoris Augusti consiliorum socium eiusque generum), templi nomen possessoresque non dicit. Sed cum a Plinio centum fere annis post templum diserte citetur 'Agrippae Pantheum', nomen vero Panthei iam in titulo anni p. Chr. n. 59 compareat neque usquam templi nomen mutatum esse legatur, dubium esse non potest, quin a primo templum nominatum sit Pantheum.

Quae cum ita sint, etiam de templi religione nulla dubitatio esse potest. Permulti quidem viri docti in hac quaestione valde erraverunt sive vocis Panthei veriloquii ignari sive verbis Dionis perturbati; alii aliis numinibus templum attribuerunt.[2]) Omnium deorum templum fuisse ab initio huius saeculi nonnulli iudicaverunt atque ostendere conati sunt.[3]) Gravissima quidem ac dilucida testimonia 'e. f' hi quoque, quantum video, plane neglexerunt. Etiam verba Dionis, quae ut multos tamquam a via abduxerunt, ita ad proprietatem

[1]) Cf. Urlichs, *Beschreibung der Stadt Rom*, Bd. 3 Abtlg. 3, 345. *‚Der Tempel wurde von den Unreinigkeiten der Abgötterei, d. h. wohl von den Bildwerken gesäubert und dagegen Gebeine der Heiligen, wovon 28 Wagen gefüllt wurden, von den verschiedenen christlichen Begräbnisplätzen unter den Hauptaltar gebracht. Das nachmals vom 13. Mai auf den 1. November verlegte Fest der Einweihung der Kirche veranlaßte die Stiftung des in der ganzen katholischen Welt eingeführten Allerheiligenfestes.‘*

[2]) Septem Planetis Th. Mommsen, *Archaeolog. Anzeiger* 1867, *April*; septem dis summis orbis Romani (Iovi Iunoni Minervae, Marti Veneri, Caesari, Romae) Nissen, *Templum* 223 ss.; Nymphis propter vicinitatem thermarum Agrippae alii; dis gentis Iuliae Adler, *Jahrb. d. Instituts* 1893 Anz. 125; Marti et Veneri ut dis Pantheis Walz, *Pauly, Realencyclopaedie* s. v. Panthea signa (*‘An diesen Statuen der Stammgötter Roms waren die Bilder vieler Götter angebracht, daher der Name Pantheon’*); deo Pantheo Iordan l. c. (Pantheus = 'praedivus' = deus Caelus!).

[3]) Wilamowitz, *Reden u. Vorträge* 4, *Berlin* I⁴ 1925, p. 211 s n. 1; E. Maass, *Die Tagesgötter in Rom u. in den Provinzen*, Berlin 1902, 287 ss. (*‚Die Bestimmung des Pantheon‘*). Eugen Petersen, *Mélanges Boissier*, Paris 1903, 391 ss. ('Pantheon?' Aedificium Thamugadense, quod P. interpretari conatus est Pantheum, bibliothecam fuisse nunc scimus; vide *Jahrb. d. Instituts* XX 1905, *Beiblatt* 89).

sacrorum *πάντων θεῶν* illustrandam multum valere existimo, satis probabiliter adhuc explanata non sunt, quamquam complures viri magnopere operam dederunt.

Dio huius templi nomen a magna tholi ingentis cum caelo similitudine, non a copia signorum in templo collocatorum repetivit. Sed cum minime dubium esse possit, quin vocabulum 'Pantheum' ipsum Dio quoque interpretatus sit templum *πάντων θεᾶν*, mira scriptoris sententia explicari vix potest, nisi existimamus Pantheum ipsum a Dione non verum *πάντων θεῶν* templum, nomen Panthei non verum vel primum huius templi nomen intellectum esse. Id ipsum cum e verbo *ὠνομασμένον*, quod nomini Panthei Dio addit, tum e ceteris scriptoris verbis concludo. Narrat Dio Agrippam hoc templum primo Augusteum nominare voluisse, Augustum autem non modo hunc summum honorem divinum prudenter scilicet recusavisse, sed etiam statuam suam in templo poni noluisse; iam pro statua Augusti Agrippam *τοῦ προτέρου Καίσαρος* (i. e. Iuli Caesaris consecrati) statuam collocavisse. Hanc statuam inter signa deorum, quae in Pantheo Dio vidit, locum insignem vel potius medium locum Augusto initio destinatum obtinuisse pro certo habeo.

Inter simulacra deorum autem Dio mirum in modum nulla nominat nisi Martis et Veneris, deorum gentis Iuliae vel imperatoriae. Apparet etiam hos deos inter ceteros omnes, qui in Pantheo sedebant, eminuisse. Quae cum ita sint, Petersenus rectissime mihi videtur opinatus esse[1]) Caesarem, Venerem, Martem inter septem Panthei aediculas mediam tenuisse, quae est maxima omnium. Atque ob hanc ipsam rem Dionem eosdem tres deos putavisse arbitror veros templi possessores, ceteros autem *συννάους*, quam opinionem mira illa scriptoris verba '*πολλῶν θεῶν εἰκόνας (!) ἐν τοῖς ἀγάλμασι (!) τῷ τε τοῦ Ἄρεως καὶ τῆς Ἀφροδίτης ἔλαβεν*' optime suadent. Illa autem aetate cum plurima certorum numinum templa multis dis *συννάοις* vel *ἐντεμενίοις* receptis *πάντων θεῶν* templis similia essent[2]) neque Panthea vocarentur, non sine causa Dio dubitare potuit, num hoc templum a multitudine *θεῶν*

[1]) l. c.
[2]) Vide infra 97, β 1.

συννάων nomen Panthei accepisset. Hinc iure maiore Dio illud templi nomen vulgo quidem, sed iniuste usitatum ducere sibi visus est a magna similitudine, quam templum ob mirum tholum habebat cum caelo i. e. habitaculo *πάντων θεῶν* caelesti.[1])

Verba Dionis, cuius de religione Panthei sententia aspernanda quidem est, duas illustrandi quaestiones facultatem dant.

Primum de numero deorum in Pantheo positorum non certa quidem, sed probabilissima conici possunt. Multorum deorum signa praeter Martis, Caesaris, Veneris in templo stetisse scriptor tradidit. Quibus signis accipiendis imprimis destinatae erant septem aediculae maiores et octo minores sitae inter illas. Quod si maioribus ad exemplum aediculae mediae terna, minoribus singula attribuimus signa, undetriginta in aediculis ipsis steterunt. Dicognoscenda autem sunt signa deorum et divorum i. e. imperatorum consecratorum, quorum signa quin postea ad exemplum signi Caesaris in Pantheo posita sint, dubium esse non potest.

Tum quo consilio haec *πάντων θεῶν* sacra Romae instituta sint optime Dionis verba docent. Agrippa nomine populi Romani et pro victoria Actiaca, quae pacem toti orbi terrarum reddiderat, et pro re publica denuo constituta gratiam referre voluit templum aedificando Augusto. Is autem honore divino non tam pie quam prudenter recusato templo omnium deorum communi hanc gratiam referri iussit. At quid quod Panthei locus primarius, aedicula media, non trinitati Iovis Optimi Maximi, Iunonis, Minervae, custodum liberae rei publicae Romanae, datus est, sed novae trinitati Divi Iulii, Martis, Veneris, deorum gentis imperatoriae? Apparet hunc deorum in Pantheo sedentium ordinem Augusto scilicet non invito idcirco statutum esse, ut novus rerum status oculis Romanorum subiceretur divinitasque gentis Augusti ac principis ipsius, in quo salus novae rei publicae posita esset, illustraretur.

3. Sacerdos. IG XIV 1449. „In villa Albani tabula

[1]) Cf. hymn. Orph. IV *Οὐρανέ, ... οἶκε θεῶν μακάρων*; Catulli LXVI 63 templa deum caelum; Lucret. I 1013 lucida templa caeli, Ovid. metam. I 168 (di in acumine tholi caelestis habitant:) hic locus est, quem haud timeam magni dixisse Palatia caeli. Lactantii Instit. I 6 caelum designatur deorum 'habitaculum sedisque communis'.

marmorea litteris pessimis scripta"; aetat. imp. posterioris; titulus sepulcralis pueri, qui septem annos natus mortuus est.

Κεῖμαι Αὐρήλιος Ἀντώνιος ὁ καὶ[1])
ἱερεὺς τῶν τε[2]) *θεῶν πάντων, πρῶτον Βοναδίης,*
εἶτα Μητρὸς θεῶν καὶ Διονύσου Καθηγεμόνος[3])
τούτοις ἐκτελέσας μυστήρια πάντοτε σεμνῶς
νῦν ἔλιπον σεμνὸν γλυκερὸν φάος Ἡελίοιο· κτλ.

Sacerdos *θεῶν πάντων* haud scio an pertineat ad mysteria Magnae Matris.

4. CIL VI 377. Sacerdos.

„Aram Iovi fulgeratori ex praecepto deum montensium Val. Crescens, pater deoru[m] omnium, et Aur. Excuperantius, sacerdos Silvani, cu[m] fratribus et sororibu[s] dedicaverunt."

„Patres ad mysteria Mithriaca pertinent; pater deorum omnium hac sola commemoratur inscriptione".

Testimonium Hispaniae.

31. Aldea (Hisp. Tarracon).

CIL II 2395. Templum. 'In loco Pangyas dicto, prope Aldea do Assento vicum ... rupis modo singulari excisa et insculpta esse dicitur.' Aetatis imperatorum.

Dis deabusque
aeternum lacum
omnibusque numinibus
et lapitearum cum hoc templo
sacravit G. C(ornelii?) Calp(etani? aut Calpurnii)
Rufini v(iri) c(larissimi), in quo hostiae
voto cremantur.

Versus 2 et 3 nescio an a lapidario mutati sint. In 'lapitearum' latere posse amphitheatrum Mommsenus adnotavit.

[1]) In titulo nulla lacuna; cognomen mysticum (cf. OGIS 717 *Πολύρανος [ὁ] καὶ Τοῦτος*) lapidarii incuria intercidisse videtur.

[2]) Quid *τε* velit, non satis intellego. Nisi ars metrica repugnaret, lapidarium scribere voluisse crederem *θε*, ita ut *τε* delendum esset.

[3]) sic legendum esse putaverim, in titulo *καὶ Ἡγεμόνος*.

Huius 'amphitheatri' in comparationem vocare liceat, quae de amphitheatro Romano dicit Tertull. de spect. 12. 'Quid ego de horrendo loco perorem, quem nec periuria sustinent? pluribus enim et asperioribus nominibus (numinibus?) amphitheatrum consecratur quam Capitolium: omnium enim daemonum templum est. tot illic immundi spiritus considunt, quot homines capit.'

Testimonia universi generis.

32.

Templa. Menander, *περὶ ἐπιδεικτικῶν* Spengel ed. Rhetores Graeci III 362. Menander Laodiceae ad Lycum natus vixit c. saeculo p. Chr. n. III exeunte.

Τὴν δ' αὖ φιλοθεότητα, ὥσπερ ἔφην, κριτέον ἰδίᾳ μέν, εἰ τῶν πολιτῶν ἕκαστος τῆς περὶ τοὺς θεοὺς θεραπείας ἐπιμελεῖται, δημοσίᾳ δὲ κατὰ πολλοὺς τρόπους, εἰ τελετὰς κατεστήσαντο, εἰ πολλὰς ἑορτὰς ἐνόμισαν, εἰ πλείστας θυσίας ἢ ἀκριβεστάτας, εἰ πλεῖστα ἱερὰ ᾠκοδόμησαν ἢ πάντων θεῶν ἢ πολλὰ ἑκάστου, εἰ τὰς ἱερωσύνας ἀκριβῶς ποιοῦνται.

33.

Nomen sollemnium sacrificiorum. Paul. Diac. Excerpta ex libro Pomp. Festi 220, 19.

'Pandicularis dicebatur dies
idem et communicarius,
in quo omnibus diis communiter sacrificabatur.'

Pandicularis derivatum esse videtur a *πανδέχεσθαι, πάνδοκος*. Cf. Pandectae.

b) Testimoniorum genera.

1. Sacerdotia.

1. Ilii saec. III a. *ἱερεὺς τῶν πάντων θεῶν* p. 56, 1 b. c. d.
2. Eresi s. I p. *εἴρευς καὶ ἀρχείρευς τῶν Σεβάστων καὶ τῶν ἄλλων θέων πάντων καὶ παίσαν διὰ βίω* 66, 12.
3. Sillyi s. II p. *ἱέρεια θεῶν πάντων* 55, 10.

Accedunt duo sacerdotia urbis Romae, quae pertinent ad mysteria:

4. Romae aet. imp. *ἱερεὺς τῶν θεῶν πάντων* ad mysteria Magnae Matris spectans p. 93, 30, 3.
5. Romae aet. imp. 'pater deorum omnium' ad myst. Mithrae pertinens 94, 30, 4.

Praeterea sacerdotia *πάντων θεῶν* in omnibus oppidis floruisse, ubi templa et menses *πάντων θεῶν* erant, perspicuum est. Ilii rursus, Eresi, Sillyi, ubi sacerdotia *πάντων θεῶν* inter cetera sacerdotia maxima fuisse auctoritate vidimus, templa quoque *πάντων θεῶν* fuisse pro certo dici potest.

2. Templa.

Secernenda sunt templa fanaque dis omnibus solis dedicata a templis, quae magno numero *θεῶν συννάων* aut *ἐντεμενίων* recepto Pantheis simillima erant.

α) Panthea.

1. Alexandriae anno 246 a. p. 79, 17, 2;
2. Antiochiae ad Maeandr. s. III a. ex. '*Πάνθεον*' 61, 6;
3. Laodiceae ad Lycum s. III a. ex. *Πάνθεον* 61, 5 (?);
4. Pergami s. II a. 'ara magna' 67, 13, 3 (?). Templum *π. θ.* quin Pergami fuerit, propter mensem *Πάνθειον* non est dubium;
5. Antiochiae ad Orontem s. I a. et p. *τὸ Πάνθειον* 64, 8;
6. Samosatae s. I a. 76, 15 a;
7. Betheliae s. V p. *τὸ Πάνθεον* 65, 9;
8. Athenis s. II p. (ab Hadriano aedif.) *θεοῖς τοῖς πᾶσιν ἱερὸν κοινόν — τὸ κοινὸν τῶν θεῶν ἱερόν* 83, 22;
9. Corinthi s. II p. *θεοῖς πᾶσιν ἱερόν* 84, 28;
10. Orneis s. II p. *ναὸς θεοῖς πᾶσιν ἐς κοινόν* 83, 24;
11. Marii s. II p. *ἱερὸν ἀρχαῖον κοινὸν θεῶν ἁπάντων* cum *ἄλσει* 83, 25;
12. Romae a. 27 a. ab Agrippa aedif. Pantheum, *τὸ Πάνθειον* 89, 30, 2;

Templa a privatis aedificata:

13. Amasiae s. II a. *[Π]ανθεῶνα (?)* aut *ἀνθεῶνα θεοῖς* 75, 14;
14. Aegialae s. II a. *τὸν ναὸν τοῖς θεοῖς καὶ τῷ δήμῳ* 82, 19;
15. Amathunte s. I a. vel p. *τὰ δένδρα — τοῖς θεοῖς τὸν ναόν* 81, 18;
16. Aldeae aet. imp. 'Dis deabusque omnibusque numinibus lacum, lapitearum, templum 94, 31;

Fana:

17. Olympiae s. II a. *τὸ Πάνθειον* p. 84, 27;
18. in Elide s. II a. *τὸ Πάνθειον* 84, 28;
19. in acumine Tauri s. I a. *ἱεροθέσιον 'κοινὸν θεῶν ἁπάντων ἐνθρόνισμα'* 77, 15 b.

β) Templa et fana Pantheis simillima:

1. Aedes Vestae:

Messenes *ἱεροθύσιον* s. II p. *ἔχει θεῶν ἀγάλματα, ὁπόσους νομίζουσι Ἕλληνες* p. 84, 26.

Quaeritur, num in aliis quoque Vestae aedibus simulacra multorum deorum posita sint. In prytaneo Atheniensium iam Aristophanis aetate una cum Vesta dis omnibus sacrificabatur (supra 9, 2). Idem in insula Syro aetate imperatorum fiebat (supra 84 sub. 26). Antiochenses Persidis in honorem Magnetum, dum legati eorum adsunt, dis omnibus sacra faciunt et Laodicenses eosdem legatos ad sacra facienda in Pantheum, ut videtur, vocant, aliae autem civitates legatos Magnetum *εἰς τὴν κοινὴν ἑστίαν* aut *εἰς τὸ ἱεροθυτεῖον* invitant (supra 62 sub 6, 1): haec quoque sacra dis omnibus facta esse probabile est. In Atheniensium vero prytaneo stetisse *ἀργυρίου ἀγάλματα* tradit Pausanias (I 5, 1) atque de magno prytaneo Delphico H. Pomtow hoc statuit (Die große Tholos zu Delphi, Klio 12 [1912], 298): '*Sie hat ein 0,60 m hohes, 1,20 m breites, ringsumlaufendes Podium (16,60 m). Es bleibt von vornherein keine andere Deutung als ein Postament für Statuen oder Speiselager.*' Hinc verisimile fit in multis prytaneis ad exemplum hierothysii Messenii signa multorum deorum collocata fuisse.

2. Megaris templum *Ἀρτέμιδος Σωτείρας*, in quo aetate imperatoria *εἰκόνας βασιλέων Ῥωμαίων* et *τῶν δώδεκα θεῶν ἀγάλματα* stetisse Pausanias tradit I 40, 3;
3. Palmyrae templum Solis vide supra p. 78, 16;
4. In vico Aegyptio (Sekket) ab Apollinopoli magna (Edfu) in orientem templum deorum Aegyptiorum CIG 4839 = OGIS 717 inter annos p. Chr. 252—268 *Ὁ δεῖνα τῷ [Σαράπιδι] καὶ Ἴσιδι καὶ τῷ Ἀπόλλωνι καὶ [τοῖς συν]ναοις θεοῖς πᾶσι ἐποίησα τὸ ἱερόν.*

5. Moguntiaca Iovis columna, quae dicitur, Iovi OM cum ara dedicata = fanum apertum. In acumine columnae signum Iovis OM, circa scapum anaglypha duodetriginta numinum: 'Massiliensium *δώδεκα θεῶν*' (?) (patria dedicantium Massilia est) et deorum tutelarium imperii Romani. Vide A. de Domaszewski, *Abhandlungen zur röm. Religion* 139 ss. E. Maass, *Jahreshefte* X 1907, 85 ss.;
6. Capitolium (Romae aut Carthaginis aut omnium oppidorum?). Tertull. de spect. 12. Idem, quod de amphitheatro, scriptor dicit de Capitolio: ‚omnium daemonum templum est'. Vide supra p. 95 sub 31, cf. Wissowa, *Relig. u. Kultus der Römer* 129;
7. Cnidi, templum Cereris. E defixionum tabellis cum titulo *Δάματρι καὶ Κούραι καὶ θεοῖς τοῖς παρὰ Δάματρι πᾶσι καὶ πάσαις* concludere liceat aut intra templum Cereris signa multorum deorum aut extra arae multorum numinum stetisse. Supra p. 27, 13;
8. Mileti, templum Apollinis Didymei: *πάνθεος περιβωμισμός* 49, 2;
9. Pergami, templum Cereris mystice cultae: permultae arae extant, inter quas duae *π. θ.*, 48, 1 e. f.;
10. Pergami (?), templum Dionysi ab Orphicis culti, ad quod pertinent hymni Orphici, p. 72, 13, 4;
11. Olympiae, circum templum Iovis septuaginta fere arae, inter quas una *π. θ.*, 52, 10 a;
12. Lycosurae, templum *Δεσποίνης*, in luco multae arae, quarum ultima titulum habebat: *θεοῖς πᾶσι* 52, 9.
13. Epidauri, templum Aesculapii. Effossae sunt ad septuaginta arae, erant vero in luco circa annum 306 p. Chr. plus ducentae viginti, inter quas complures *π. θ.* 50, 8.

Duo postremo testimonia notare liceat, quibus illa inclinatio deos eodem loco colendi quam plurimos illustratur, alterum aetatis antiquissimae, alterum recentioris aetatis.

14. In rupe insulae Therae multa diversissimorum deorum nomina et iuxta ea cava conspiciuntur, in quibus dis singulis privatim sacrificabatur. Litterae tempora antiquissima indicant. IG XII 3, Suppl. 350—383.

15. Similiter aetate imperatorum incolae Philipporum, oppidi Macedoniae, rupi in parte superiore oppidi sitae insculpserunt '*des niches pour des petits simulacres et ... de légers reliefs représentant des divinités dont le culte leur était cher.*' Reperta sunt tredecim simulcra '*de ce panthéon de dieux adorés par les colons romains de Philippes.*' *Revue archéol.*. XI (1865), 449 ss.

γ) De deorum in Pantheis sedentium numero et ordine.

Panthea a singulis civitatibus aedificata universitatis fuisse omnium omnino numinum, quae esse credebantur, cum per se intellegitur, tum e compluribus testimoniis, inter quae eminent titulus Commagenus et tres pompae Alexandriae, Antiochiae, Romae ductae. Omnium autem cultorum deorum signa cum collocari non possent, delectus habendus erat. Praeter cetera numina singulas civitates deos elegisse a se publice cultos aut omnes aut gravissimos a primo opinandum est.[1]) Nonnulla de hac quaestione testimonia ipsa docent.

Pantheum Romanum praeter Martis, Veneris, Caesaris signa *πολλῶν θεῶν εἰκόνας ἔλαβεν*; poterant vero collocari in aediculis templi ipsis non minus quam undetriginta simulacra.

In hierothysio Messenio aetate Pausaniae praeter signum Epaminondae erant *θεῶν ἀγάλματα, ὁπόσους νομίζουσιν Ἕλληνες*.

Etiam illa, quae in templo Dianae Megarico collocata erant, Caesarum et duodecim deorum signa ac duodetriginta anaglypha numinum in columna Iovis Moguntiaca ficta nescio an hanc rem aliquid illustrent.

Contra in hierothesio Commageno, quod *ἁπάντων κοινὸν θεῶν ἐνθρόνισμα* ab Antiocho declaratur, non plus quinque *θεοὶ μεγάλοι* sedebant — praeter omnes Antiochi maiores anaglyphis repraesentatos.

De numinibus ipsis vel potius de loco insigni, quem certa numina inter cetera in Pantheis posita tenebant, e nonnullis testimoniis gravissima intellegi possunt.

---

[1]) Sic iam E. Maass iudicavit l. c. supra p. 91 n. 3; erravit Lehrs, qui *δώδεκα θεούς* pro omnibus dis in Pantheis collocata fuisse voluit; separata *δώδεκα θεῶν* templa in multis oppidis erant.

In Pantheo Romano quin Marti Caesari Veneri aediculam mediam Agrippa tribuerit, dubitari vix potest.

In Pantheo Eresi Divos i. e. imperatores consecratos inter ceteros deos locum primarium tenuisse ille εἴρευς καὶ ἀρχείρευς τῶν Σεβάστων καὶ τῶν ἄλλων θέων πάντων καὶ παίσαν demonstrat.

In hierothesio Commageno omnium deorum loco una cum Antiocho ipso ut nova regni Tycha quattuor numina sedebant, quibus cum rege artissima intercedebat ratio. Eadem quinque numina in Pantheo, quod tum Samosatae in capite regni floruisse arbitratus sum, omnibus dis praestitisse apertum est.

In Pantheis Ilii et oppidorum τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων Apollinem, gentis Seleucidarum ἀρχηγόν, cum Seleucidis consecratis ipsis, in Pantheo Alexandrino Dionysum, Ptolemaeorum ἀρχηγόν, et Ptolemaeos consecratos loco eminenti stetisse e testimoniis colligo supra 56, 1a; 57, 2; 79, 17, 1. In Pantheis et Asiae et Aegypti Alexandri Magni quoque signum stetisse sacrificium, quod Erythraei Alexandro nomine societatis Ioniae faciunt (60, 4), et pompa Alexandrina ostendunt.

In Pantheis denique civitatum liberarum ea numina inter cetera eminuisse videntur, quae inter numina publica earundem civitatum auctoritatem summam habebant, exempli causa Iuppiter et Minerva Prienes (59, 3) et Ii (82, 21), Sol et Rhodus Rhodi (82, 20), nisi hos ipsos deos certa de causa in illis titulis nominatos esse existimandum est. Ilii autem (56, 1) post reges Apollinemque Minervam, Sillyi (65, 10) post Σεβαστούς Cererem locum insignissimum obtinuisse pro certo habeo.

Loco eminenti igitur, quatenus ordo certus perspicuus erat, alia numina in aliorum oppidorum[1]) Pantheis, in omnibus regnorum autem reges consecratos, postea imperatores sedisse iudico.

[1]) Cf. titulos huiusce modi: *Inschr. Magn.* 100, 16 πάτριον ἐστὶν τῷ δήμῳ (sc. Magnetum) πρὸς τὸ θεῖον εὐσεβῶς διακειμένῳ πᾶσιν μὲν τοῖς θεοῖς ἀεί ποτε τὰς καταξίας θυσίας τε καὶ τιμὰς ἀπονέμειν, μάλιστα δὲ τῇ ἀρχηγέτιδι τῆς πόλεως Ἀρτέμιδι Λευκοφρυηνῇι. Collitz-Bechtel 5181 = Le Bas, Asie mineure II 75 (Apterae Cretae s. II a.) τάν τε πόλιν εὐσεβῶς διακειμέναν πρὸς πάντας τὸς θεός, μάλιστα δὲ πρὸς τὸν Διόννσον ὄντ' ἀρχαγέταν τῆς πόλεως.

δ) De Pantheorum forma.[1])

Pantheum Romanum, quod omnium Pantheorum solum extat, aedem rotundam (θόλον) esse constat. Quae templi forma quaeritur num Pantheorum fuerit propria, id quod mihi videtur probabilissimum his de causis.

Primum dubitari non potest, quin cum religione πάντων θεῶν, quae in terris ad orientem vergentibus iam pridem florebat, Agrippa templi formam quoque adhuc Romae inauditam importaverit, unde sequitur in illis terris Panthea rotunda forma tum fuisse.

Deinde mirae illi Dionis interpretationi nominis Panthei Romani sententia probabilis subici vix potest nisi verba eius sic explentur: προσαγορεύεται δὲ οὕτω . . . ὡς ἐγὼ . . . νομίζω, ὅτι θολοειδὲς ὂν τῷ οὐρανῷ προσέοικεν [ὡς τὰ ἄλλα Πάνθεια].

Tum rotunda Pantheorum forma inde colligi potest, quod ea ipsa tribus sacris videtur propria fuisse, quibuscum summa sacris πάντων θεῶν intercedebat ratio, sacris dico τῶν δώδεκα θεῶν, regum imperatorumque consecratorum, Vestae.

Omnium deorum cum summis duodecim dis necessitudo et amborum sacrorum natura demonstratur et utriusque artissima cum cultu regum consecratorum coniunctione. Dodecathea autem aedes rotundas fuisse testimonio tituli Magnesiae[2]) et anaglypho[3]) columnae Traiani, quae dicitur, probatur.

Templa regum et imperatorum ut Philippeum Olympiae, Arsinoëum Samothraces, Antigoneum Cnidi, Augusteum Pergami, templum Augusti et Romae in arce Atheniensium exstructum tholos fuisse Georgius Karo et Otto Weinreichius[4]) monuerunt.

[1]) Cf. Otto Weinreich, *Sitzungsberichte d. Heidelb. Acad. d. Wiss., Philosoph.-hist. Klasse*, 1913, *Abhdlg.* 5 ‚*Lykische Zwölfgötterreliefs*' 37 ss. ‚*Pantheon und Tholos*'.

[2]) *Inschr. Magn.* 98, 41 ss. ὁ δὲ στεφανηφόρος ἄγων τὴν πομπὴν . . . πηγνύτω θόλον ἐν τῆι ἀγορᾶι πρὸς τῶι βωμῶι τῶν δώδεκα θεῶν, στρωμνύτω δὲ καὶ στρωμνὰς τρεῖς ὡς καλλίστας scil. sex paribus deorum.

[3]) Vide Cichorium in opere de columna Traiani tab. LXVI. In columna aedicula conspicitur aperta formam hemisphaeri habens et prope eam sex arae, in quibus imperator ad bellum Dacium profecturus sacra facit. Quae sacra duodecim dis fieri apte opinatus est Eug. Petersen l. c.

[4]) l. c.; cf. Weinreich, *Triskaidekadische Studien*, Giessen 1916, 6 (rotundam sepulcralem imperator Constantinus Constantinopoli sibi exstruxit eo loco, ubi βωμὸς Ἑλλήνων πρότερον ἦν, δωδεκάθεον ὄνομα 12 nota 1).

Sacra regum consecratorum quam arte cum duodecim deorum sacris coniuncta fuerint, optime inde apparet, quod complures reges et imperatores τριῶκαιδέκατοι θεοί salutati, ficti, culti sunt.[1]) Quare haud improbabiliter coniecit Weinreichius antiquissimum templum regis consecrati, Philippeum, formam rotundam petivisse a templis duodecim deorum[2]) et illius templi exemplum multos reges et imperatores imitatos esse. Ut cum duodecim, ita cum omnium quoque deorum sacris cultum regum artissime connexum fuisse permulta testimonia a nobis allata, imprimis qui in Pantheo Romano Caesari attributus est locus, satis superque demonstrant. Atque haec sacra ut numinum communitate ita eadem templi forma inter se coniungi dilucide illud Augusteum ostendit, quod pro Pantheo Agrippa primo aedificare voluit. Neque enim verba Dionis diligenter legenti dubium esse potest, quin hoc Augusteum, si exstructum esset, nihil diversum fuerit a Pantheo neque numero ordineque deorum — praeter quod Augustus locum Caesaris, is igitur ipse locum alium tenuerit —, neque forma. Quae par et Augustei et Panthei forma nihil habet miri, si in terris ad orientem spectantibus et in Pantheis et in regum templis forma rotunda iam diu in usu fuit.

Qua de causa in Dodecatheis et Pantheis θόλοι in usum venerint si quaerimus, id certe dici potest θόλους, cum essent imagines caeli i. e. caelestis deorum habitaculi communis, aptissimas fuisse ad templa et duodecim summorum et omnium omnino deorum.

Debere autem putaverim et Dodecathea et Panthea, quae non ita multo post illa exstrui coepta esse videntur,[3]) formam

[1]) Rex quidam Lyciorum (vide notam 2), rex Philippus, Alexandri Magni pater (Diodor. XVI 92,5; Stobaeus floril. tit. 96 p. 233, 70 M.), Alexander Magnus (Aelianus, Varia hist. V 12), fortasse rex Eumenes (*I. Perg.* 1 246, II 510), imperatores Hadrianus (Socrates, histor. eccles. III 23), Alexander Severus (Joh. Chrysost. in epist. II ad Corinth. hom. 26, 4 Migne, Patrol. Gr. LXI 580).

[2]) Antiquissimum δώδεκα θεῶν templum, quod adhuc extat, saeculi III a., sacerdotium saeculi IV ex. aut III in. est. (Vide Paton-Hicks, *The inscript. of Cos* 1 et 63; cf. etiam 38.) Philippi igitur aetate templa δώδεκα θεῶν iam fuisse haud improbabile est. Saeculo V a. Chr. ex. princeps Lyciorum monumentum suum ipsius sepulcrale consecrat in fanum δώδεκα θεῶν.

[3]) Vide infra 113. Aras duodecim deorum multo vetustiores esse vix dicendum est.

rotundam Vestae aedibus, quarum ab Homeri temporibus tholum proprium fuisse constat. Ad ἑστίαν κοινήν enim aetate Homeri, qua Ἑστία dea nondum colebatur, saepius haud dubie dis communiter sacrificatum est, ab Aristophanis fere aetate praeter Vestam primo omnibus Olympiis, postea omnibus universis dis sacra fiebant, aetate vero Pausaniae etiam multorum deorum signa in prytaneis posita erant, ita ut hae quoque aedes rotundae et Dodecatheis et Pantheis essent simillimae.

3. Menses.

Menses πάντων θεῶν sacri adhuc quattuor traduntur, ex quibus tria in '-ος' exeuntia composita sunt ad normam Aeolum, unum, quod exit in '-ων', ad normam Ionum.[1])

1.	Antiochiae Persidis	saec. III a. ex.	Πάνθεος 63, 7.
2.	Mytilenis	saec. III a.	Πανθήιος 65, 11.
3.	Pergami	saec. II a. med.	Πάνθειος 66, 13, 1 a. b.
4.	Neapoli	saec. I p.	Πανθεών 88, 29.

Qui quattuor menses cum et oppidorum et temporum longe inter se distantium sint, dubium esse non potest, quin haud paucis in oppidis a saeculo a. Chr. n. III fere menses πάντων θεῶν valuerint.

Menses autem non poterant institui nisi praecedebant sacra publica templis sacerdotiisque ornata.

4. Dies festi, sacrificia, preces, vota.

α) Sacra anniversaria, menstrua.

In omnibus oppidis, ubi sacra πάντων θεῶν florebant, iis, quas leges statuerant, diebus praecepta sacrificia omnibus dis esse facta diesque festos esse actos cum per se intellegitur tum calendario Erythraeo (60, 4) demonstratur. Ubicumque autem Pantheus mensis in usu erat, diem festissimum eo ipso mense actum esse apparet. Ludos vero Antiochiae ad Maeandrum ἐν Πανθέῳ commissos, quorum complures civitates participes erant, e titulo 62, 6, 2 cognovimus. Sacrificia sive annua sive menstrua etiam ille 'dies pandicularis vel communicarius' tituli 95, 33 testatur.

[1]) Cf. E. Bischoffium l. c. (supra p. 63 nota 2) 342.

Ad aras quoque omnes, quae Olympiae essent, semel in singulis mensibus sacra eodem die facta esse Pausanias tradit. Similia sacra ut de Asclepieo Epidaurio ex illis numeris in singulis aris inscriptis ita de aliis quoque fanis eiusdem generis conicere licet (vide 98, 8—13). Huc denique mea quidem sententia illam quoque *πάνθειον τελετήν* hymnorum Orphicorum pertinere supra p. 73 disserui.

β) Sacra in rebus facta extraordinariis.

Ratio precum sacrificiorumque omnibus dis occasione extraordinaria data sollemniter faciendorum duplex in titulis huius aetatis comparet: primum ad exemplum temporum pristinorum[1]) in omnibus civitatis delubris eodem tempore sacra fiunt eaque singulis numinibus in suis fanis,[2]) tum sollemniora omnibus dis communiter fiunt ad unam aram sive Panthei sive, ubi hoc templum nondum erat, prytanei.

De hoc altero sacrorum genere quid tituli doceant, iam videamus. Dicognosci possunt:

1. Sacra quae fiunt pro patria e periculo belli servata aut servanda.

Prienenses in memoriam victoriae de Lysimacho reportatae libertatisque recuperatae praeter sacrificia Iovis Soteris et Minervae *Νίκης* in honorem omnium deorum et sacrificia annua instituunt ab unoquoque civium privatim, a populo communiter facienda et dies festos Soteria dictos (p. 59, 3).

Calendarium Erythraeum, quod sacrificia deorum publice cultorum continet (60, 4), sollemne sacrificium omnium deorum praebet; quibus cum eodem die atque Iovi Soteri et Minervae Poliadi sacrificetur, nescio an colligi possit haec sacra Erythraea simili de causa instituta esse ac sacra Prienensia.

Berenice, regina Aegypti, pro victoria et reditu coniugis, Ptolemaei Euergetae, dis omnibus sacrificia taurina cum cirro ipsius vovet votaque bello feliciter gesto in Pantheo solvit (p. 79, 17, 2).

[1]) Cf. Aeschyl. Agam. 88, supra 8, 7 d.

[2]) Vide titulos p. 59, 2 b et 3, praeterea *Inschr. Magn.* 73 b, v. 14 ss., 80 v. 13 ss., *Inschr. Perg.* 135 v. 27 ss. Tituli 59, 2 et 3 ambo genera coniuncta praebent, sacra communia tituli 3 duodecim dis et regi Eumeni fiunt.

Eumenem II, regem Pergamenorum, Galatis regnum depopulantibus vota splendida dis omnibus fecisse e Polybio XXX 2, 7 conclusimus (p. 71).

2. Sacra pro salute rei publicae facta, cum societates inibantur vel renovabantur.

Rhodii societatem cum Hierapytniis inituri universos sacerdotes communiter votum dis omnibus nuncupare iubent hoc: si foedus civitati usui futurum sit, populum illis sacrificium et pompam facturum esse (82, 20).[1])

Simili modo populus Ietarum cum Rhodiis foedus renovaturus sacerdotes dis omnibus precationem facere iubet *ἐπ' ἀγαθῆ τύχη καὶ σωτηρίᾳ* civitatis (82, 21).

Populus vero Elaeorum inter amicos et socios populi Romani receptus sciscit, ut omnes sacerdotes et magistratus pro salute populi sui et populi Romanorum cum singulis deis sacrificia turea precesque in suis templis faciant, tum omnibus dis splendidissimum sacrificium commune (61, 4).

3. Sacra pro salute rei publicae facta in regno aut magistratu ineundo.

Antiochus, rex Commagenes, diadema accepturus regnum suum *κοινὴν θεῶν ἁπάντων ... δίαιταν* inaugurat et in honorem omnium deorum sacrificia facit diesque festos agit (77, 15 b).

Strato, gymnasiarchus Pergamenus, magistratum inturus sacrificium taurinum dis omnibus facit *ὑπὲρ τοῦ δήμου σωτηρίας καὶ ὁμονοίας* (67, 13, 2).

4. Sacra in honorem civitatum facta amicitia coniunctarum.

Antiochenses Persidis, dum legati Magnetum in oppido adsunt, inter alios honores constituunt: *εὔξασθαι τοὺς ἱερεῖς θεοῖς πᾶσιν καὶ πάσαις διαμένειν Μ[άγ]νησιν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον ἐπὶ τύχηι ἀγαθῆι τὴν πολε[ιτεί]αν* (63, 7).

[1]) Cf. IG II 1, 57 b. Athenienses anno 362 a. Chr. societatem cum compluribus civitatibus Peloponnesiacis inituri hanc precationem iubent: *εὔξασθαι μὲν τὸν κήρυκα αὐτίκα μάλα τῶι Διὶ τῶι Ὀλυμπίωι καὶ τῆι Ἀθηνᾶι τῆι Πολιάδι καὶ τῆι Δήμητρι καὶ τῆι Κόρηι καὶ τοῖς δώδεκα [θ]εοῖς καὶ ταῖς Σεμναῖς θεαῖς, ἐὰν συνενείγκηι κτλ.* Similia sacra IG II 1, 14 et 57 (in utroque titulo: *εὔξασθαι — τοῖς δώδεκα θεοῖς*).

In honorem eorundem Magnetum Laodiceni ad Lycum siti in Pantheo videntur sacrificium facere, cui legati Magnetum intersunt (p. 61, 5).

5. Sacra in honorem regis domusque regiae facta.

Pro rege Antiocho Sotere regni initiis Ilienses preces et sacrificia sollemnia dis omnibus faciunt (56, 1 a).

Denuo in potestatem Antiochi Ilium cum venerit Lysimacho victo, populus, dum legati regis in oppido versantur, iterum a sacerdotibus magistratibusque dis omnibus *ὑπὲρ τοῦ βασιλέως καὶ τοῦ δήμου* precationem atque sacrificium sollemne fieri iubet, *ὅπως ὁ δῆμος καὶ νῦν εὔνους ὢν καὶ τὴν αὐτὴν αἵρεσιν ἔχων φανηρὸς ᾖι τῶι βασιλεῖ* (ibid.).

Multis annis post pro rege Seleuco II, domo regia, praefecto provinciae Hellesponticae precationem et sacrificium dis omnibus iussu populi sacerdos facit *τῶν πάντων θεῶν* (56, 1 b).

Postremo similia sacra alius titulus Iliacus saeculi III a. Chr. extremi videtur indicare, quo tempore Ilium iam dicionis Pergamenorum fuisse verisimile est (57, 1 c).

Ad quae Iliensium sacra accedit aliud idque sollemnissimum. Legati *τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων*, postquam de honoribus Antiocho Soteri tribuendos deliberaverunt, sacrificium communiter faciunt *τοῖς θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις καὶ τοῖς βασιλεῦσι Ἀντιόχωι καὶ Ἀντιόχωι καὶ τῆι βασιλίσσηι Στρατονίκηι* (58, 2).

Quae diversa sacrificiorum et precationum genera ritum intellexerim omnium sollemnissimum rei publicae auxilium divinum precandi gratesque pro auxilio dis agendi, exteris civitatibus amicitia coniunctis honores singulares tribuendi, regibus vero fidem atque oboedientiam demonstrandi.[1])

5. Pompae.

In tribus pompis splendidissimis signa *'θεῶν ἁπάντων'*, *'πάντων τῶν παρ' ἀνθρώποις λεγομένων ἢ νομιζομένων θεῶν ἢ δαίμονων, προσέτι δὲ ἡρώων'*, *'Ἑλληνικῶν ἁπάντων*

[1]) Sacra *δώδεκα θεῶν* pro *πάντων θεῶν* indicat decretum Elaeorum *Inschr. Perg.* 135 v. 27 *ὅταν δὲ παραγίνηται* (rex Attalus III 138—133) *εἰς τὴν πόλιν ἡμῶν, [στε]φανηφορῆσαι πάντα ἕκαστον στεφανηφόρον τῶν δώδεκα θεῶν καὶ θεοῦ βασιλέως Εὐμένου.*

θεῶν τε καὶ δαιμόνων' circumlata esse scimus. Quarum una in capite Ptolemaeorum (79, 17, 1), altera in capite Seleucidarum (64, 8, 2), tertia eaque quotannis in capite rei publicae Romanorum (89, 30, 1) ducta est. Initium autem fecerunt ludorum, qui Alexandriae in honorem *θεῶν Σωτήρων* i. e. Ptolemaei I et Berenicae, Antiochiae in honorem Apollinis (*ἀρχηγοῦ* gentis Seleucidarum) et Dianae, Romae in honorem Iovis Capitolini acti sunt. Cuius generis pompas non minus ad regnorum opes quam summam erga deos pietatem demonstrandam destinatas fuisse magnificus apparatus docet. Omnibus ludis magnis pompas *πάντων θεῶν* ab illa aetate antecessisse concludere licet.[1]) Inter signa deorum in regnis ad orientem spectantibus signa regum consecratorum, aetate imperatoria signa Divorum fuisse vix dici debet.

B. Quid de universo *πάντων θεῶν* ab aetate Alexandri Magni cultu testimonia doceant.

Quoniam omnia genera testimoniorum ab aetate Alexandri Magni usque ad finem antiquitatis adhuc cognitorum singillatim congessimus atque tractavimus, nunc iis generibus, quae sacra prae se ferunt similia, complectendis altius in universam *πάντων θεῶν* huius spatii venerationem cum privatam tum publicam penetrare conabimur.

I. De *πάντων θεῶν* veneratione privata.

Ad privatam omnium deorum venerationem haec testimoniorum genera pertinent: 'breves invocationes', omnes fere 'exsecrationes', maior pars 'donariorum' et 'ararum', tria 'templa' a privatis aedificata (supra p. 81, 18 Amathunte saec. II; p. 82, 19 Aegiolae saec. II; p. 94, 31 Aldeae aet. imp.), ea 'sacrificia',

[1]) Aetate priore pro *πάντων θεῶν* pompis duci solitas esse pompas *δώδεκα θεῶν* probabile fit e Diod. XVI 92, 5. Philippus, rex Macedonum, in Cleopatrae filiae nuptiis *εἴδωλα τῶν δώδεκα θεῶν ἐπόμπευε . . ., σὺν δὲ τούτοις αὐτοῦ τοῦ Φιλίππου τρισκαιδέκατον ἐπόμπευε θεοπρεπὲς εἴδωλον, σύνθρονον ἑαυτὸν ἀποδεικνύοντος τοῦ βασιλέως τοῖς δώδεκα θεοῖς.* Aetate posteriore pompas *δώδεκα θεῶν* in festis minus splendidis servatas esse pompa Magnetum docet in sacris Iovis Sosipolis in forum ad aram *δώδεκα θεῶν* ducta *Inschr. Magn.* 98 v. 41.

quae Prienenses singulis civibus omnibus praescribunt (59, 3), nomen Pantheae (p. 31 ss.).

Varias omnium deorum invocationes in vita cotidiana ad exemplum temporum pristinorum valde usitatas fuisse breves illae invocationis et maxime exsecrationis formulae indicare videntur.

Ab initio saeculi III a. Chr. auctum esse hominum privatorum studium communes omnibus dis tribuendi honores e magno numero donariorum ab hominibus omnium ordinum variisque de causis dedicatorum, ex parte ararum, e templis a privatis exstructis elucet.

In aris domesticis saepe dis omnibus communiter sacrificatum esse e decreto Prienensium anni 297 et ex ara illa, quam Olympiae in 'ergasterio Phidiae' Pausanias vidit (52, 10 b), concludo.

Summum aetate imperatorum fuisse privatorum erga omnes deos studium optime illustrari videtur quaternis aris Pergamenis (48, 1 a — d), Epidauriisque (50, 8), nomine proprio Pantheae in omnibus terris tum maxime usitato, quattuor denique his titulis:

1. CIG III 5041 Talmis Aethiopiae. *Ὁ δεῖνα γράφει . . .· Σέβου τὸ θεῖον· θῦε πᾶσι τοῖς [θε]οῖς· ἐφ' ἕκαστον [ἱε]ρὸν [ἐ]πιπορεύου προσκυνῶν· ἡγοῦ μάλ[ισ]τα τοὺς πα[τ]ρῴους· καὶ [σέβου] Ἶσιν, Σ[άρα]πιν, τ[οὺς μεγ]ί[σ]τους τῶν [θεῶν, σω]τῆρας, [ἀγα]θ[ούς, εὐμε]νεῖς, εὐεργέτ[ας].*

2. Schrader *Ath. Mitt.* XXI 275 = SIG III³ 1153. Athenis: parva ara, in fronte duo Panes; aet. Hadrianae.

Ἡ δεῖνα Μητρὶ θεῶν κατ' ἐπιταγήν· πάντα θεὸν σεμνύομεν.

3. Kaibel, Epigr. Graeca 134. Athenis, titul. sepulcr. aetat. recent.

Πᾶσι θεοῖς θύσας καὶ σωθεὶς πάντοτε ὑπ' αὐτῶν
εἰς τύνβον κεῖμαι ἐννέα ἔχων δεκάδας.

4. BCH XXV (1901) 278, 1 = IG V 2, 182. Tegeae, tit. sepulcr. aet. imp.

v. 2. *Πᾶσι θεοῖς θύσασα καὶ πᾶσι βροτοῖς ἀρέσασα*
(ε)ἰς μάκαρας κεῖμαι εὐσεβίης ἕνεκεν.

II. De *πάντων θεῶν* veneratione publica.

Testimoniorum pars eandem fere omnium deorum venerationem prae se fert, quae erat temporibus praecedentibus, alia autem pars docet hanc venerationem progressam esse ad propria *πάντων θεῶν* sacra, ita ut iuxta singulorum deorum sacra publica iam florerent sacra *πάντων θεῶν*, tertia vero pars etiam intra sacra deorum singulorum, imprimis mystice cultorum, hanc religionem domicilium sibi paravisse ostendit.

1. De *πάντων θεῶν* in modum aetatis prioris veneratione.

In omnibus sacris formulis, quae in variis rebus vitae publicae adhibebantur, post deos proprie nominandos generalem omnium deorum invocationem sub finem saeculi V fere addi coeptam esse supra ex duobus locis Aristophaneis conclusimus. Quae opinio firmatur magno numero formularum, quae extant in iuramentis publicis saeculorum insequentium (p. 17 ss.).[1])

Ad *ἑστίαν κοινήν* hac quoque aetate non Vestae soli, sed simul omnibus dis sacrificatum esse hierothysium Messenium et nonnulli tituli Syri in insula et Magnesiae eruti ostendere videntur (vide supra p. 84, 26; 62, 6 et 97 *β* 1).

Precationi omnibus dis faciendae, quam populus Thasiorum pro salute rei publicae saeculo IV ineunte decernit (6, 5), similia sunt sacra a Rhodiis et Ietis (82, 20 et 21) saeculo III exeunte statuta.

Donaria denique, imprimis statuae hominum bene meritorum, non modo privatim, sed etiam publice dis omnibus saepe dedicata esse complures tituli demonstrant (p. 35, 4; 43, 33; 44, 35; 45, 40—43).

2. De iustis atque perpetuis *πάντων θεῶν* sacris publicis.

Inde a saeculo a. Chr. n. III in terris ad orientem spectantibus, aetate imperatoria in Graecia quoque et Italia

[1]) Idem in ritu Romano factum esse docet Servius (vixit saec. IV p. Chr.), qui ad Vergil. Georg. I 5, 21 annotat: Post specialem invocationem transit ad generalitatem, ne quod numen praetereat, more pontificum, per quos ritu veteri in omnibus sacris post speciales deos, quos ad ipsum sacrum quod fiebat necesse erat invocari, generaliter omnia numina invocabantur (cf. Vergil. l. c.; Plaut., Poen. act. V sce. 4 vs. 104, Ovid. in Ibin vs. 79, Cicero., in Verr. Act. V in peroratione). Similiter in ritu catholico in omnibus fere formulis et publice et privatim usitatis post nomina sanctorum specialium sequitur invocatio sanctorum omnium.

propria *πάντων θεῶν* sacra publica floruisse e testimoniis templorum, sacerdotiorum, mensium *πάντων θεῶν* certo scimus. Quae testimonia quoniam casu servata sunt, quaerendum est, quam late re vera haec sacra in singulis terris singulisque temporibus patuisse coniectura colligere liceat. Ad hoc facilius responderi poterit, si antea, quid de auctoritate horum sacrorum testimonia doceant, disputaverimus.

a) De *πάντων θεῶν* sacrorum inter cetera publica sacra auctoritate.

Ilii saeculo III a. Chr. n. sacerdos *πάντων θεῶν* praeter femineam sacerdotem Minervae Iliadis summus omnium sacerdotum erat ab eodemque annum Iliacum nomen accepisse summa cum probabilitate dici potest. Antiochiae ad Maeandrum saeculo III haec sacra maxima fuisse auctoritate inde concludo, quod ludis quotannis *ἐν Πανθέῳ* actis legati intererant civitatum exterarum. Antiochiae Persidis atque Mytilenes saeculo III, Pergami saeculo II in usu erat mensis nomen Pantheus; a quo antiquius mensis nomen loco suo depelli non potuisse, nisi antea sacra *πάντων θεῶν* ipsa florerent et summa auctoritate uterentur, apparet. Erythris sacrificium *πάντων θεῶν*, quod calendarium saeculi II continet, sacrificiis omnium ceterorum numinum publicorum numero victimarum multo praestat. Postremo ut apud Ilienses, Antiochenses Persidis, Pergamenos, Erythraeos ita etiam apud ceteras civitates, a quibus sacrificia et precationes sollemnes dis omnibus facta esse supra vidimus, apud Prienenses ceterasque civitates *τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων* et Alexandrinos saeculo III, Rhodios et Ietas saeculo II, Commagenos saeculo I auctoritatem sacrorum *πάντων θεῶν* permagnam fuisse iudicare licet.

De aetatis imperatoriae sacris hoc dici potest:

Romanorum *πάντων θεῶν* sacrorum auctoritas optime illustratur et tempore causaque Panthei aedificandi et mira eius forma. Neapoli *πάντας θεούς* auctoritate permagna usos esse mensis nomen *Πανθεών* demonstrat. Panthei Atheniensis auctoritas inde apparet, quod id templum ab eodem imperatore Hadriano, qui Pantheum Romanum magnifice restituit, aedificatum praeter cetera templa Athenis aliisque in oppidis ab ipso exstructa dignum est ductum, in quo poneretur tabula cum indice omnium templorum ab imperatore in diversissimis totius mundi oppidis sive aedificatorum sive renovatorum. Marii sacra *πάντων θεῶν* locum primum omnium, Orneis primum vel secundum tenuisse dicendum est, cum in hoc oppidulo praeter templa Dianae et *πάντων θεῶν* Pausanias nullum, in illo vero solum Pantheum mentione dignum habuerit. Eresi auctoritatem horum sacrorum maximam fuisse dignitas *εἴρεως καὶ ἀρχείρεως*, quo munere saeculo I p. Chr. sacerdos fungitur *πάντων θεῶν* satis monstrat. Sillyi saeculo altero sacris *πάντων θεῶν* sola Divorum et Cereris sacra antecesserunt. Betheliae denique saeculo V templum *πάντων θεῶν* ceteris templis omnibus praestitit *ὡς ἐπὶ ἀκροπόλεως χειροποιήτου τινὸς λόφου κείμενον καὶ πανταχόθεν πάσης τῆς κώμης ὑπερέχον*.

Quae exempla satis demonstrant sacra *πάντων θεῶν*, ubicumque florebant, summam inter cetera sacra publica habuisse auctoritatem. Atque hinc verisimile fit in plurimis oppidis, ubi sacra *πάντων θεῶν* publice instituta erant, *πάντας θεούς* sive a principio sive postea honore proprii sacerdotii atque templi ornatos esse. Ratio autem huius auctoritatis facile intellegitur e sacrorum *πάντων θεῶν* natura; neque enim fieri potest nisi certis de causis, ut communis veneratio omnium deorum venerationi singulorum deorum postponatur. Augebatur vero in regnis orientis imperioque postea toto Romano huius cultus auctoritas eo, quod in numero omnium deorum reges imperatoresque consecrati habebantur signaque eorum in Pantheo loco eminenti collocabantur; id autem factum esse apparet, quod regia imperatoriaque apud cives dignitas hoc modo unice amplificari poterat.

b) De numero sacrorum *πάντων θεῶν*.

Numerus *πάντων θεῶν* sacrorum testimoniis firmatorum quamquam haud ita magnus est, attamen ex eo, quod ea sacra et oppidorum temporumque inter se maxime distantium sunt et inter cetera sacra publica permagnam auctoritatem habent, probabilissime enucleari posse existimaverim, quantus re vera diversis temporibus sacrorum *πάντων θεῶν* numerus fuerit.

Saeculis, quae erant inter Alexandri Magni mortem et imperatorum aetatem sacra *πάντων θεῶν* publica floruisse

vidimus Alexandriae in capite Ptolemaeorum, Antiochiae in capite Seleucidarum, Pergami in capite Attalorum, Samosatae in capite Commagenes, deinde Ilii, Prienes, Erythris ceterisque, ut probabilissimum quidem est, in oppidis τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων (vide titulum Clazomenium p. 58), tum Antiochiae Cariae, Laodiceae (?) Cariae, Antiochiae Persidis, post Mytilenes, Rhodi, Ii, Elaeae; addi etiam possunt Aegiale in insula Amorgo et Amathus in insula Cypro sita. Postremo sacra, quae Eresi, Sillyi, Betheliae aetate imperatorum fuisse scimus, iam aetate superiore viguisse probabile est.

Hanc oppidorum seriem qui contuetur dubitare vix potest, quin per omnes terras ad orientem spectantes illis temporibus sacra publica πάντων θεῶν valde floruerint. Quae opinio probabilior fit hac re. Inter oppida enumerata complura sunt illa ipsa aetate condita eaque: Alexandria ab Alexandro Magno, Antiochia Lyciae a Seleuco Nicatore, Antiochia Cariae, Laodicea Cariae, Antiochia Persidis ab Antiocho Sotere. Quibus in oppidis inter se remotissimis eadem sacra reperiri casui tribuendum non est, sed in aliis quoque vel potius in omnibus oppidis, quae in iisdem finibus iisdemque de causis condita sunt, haec sacra floruisse iudicandum est. Condita autem sunt in vastis finibus Asiae solis ab Alexandro Magno ad septuaginta oppida, totidem fere et a Seleuco Nicatore et ab Antiocho Sotere, alia a proximis regibus Syriae.[1]) Hinc igitur in plurimis vel omnibus oppidis illorum regnorum sacra πάντων θεῶν publica viguisse concludere licet.

In aliis quoque civitatibus illa aetate sacra πάντων θεῶν publica non ignota fuisse precatio Rhodiorum (p. 82), Πάνθειον Olympium, quod scholia Pindarica, alterumque in confinio Elidis et Pisatidis situm, quod liber Pseudaristotelicus tradit (p. 84 ss.), templum Laconicum, quod Pausanias ἀρχαῖον dicit (Marii 83, 25), imprimis mensis Πανθεών Neapolitanus (p. 88 saec. I p. Chr.) videntur probare.

Per aetatem imperatoriam omnia πάντων θεῶν sacra publica, quae aetate priore florebant, mansisse nemo, qui

[1]) Cf. de his rebus A. de Gutschmid, *Geschichte Irans und seiner Nachbarländer, Tübingen* 1888.

naturam huius cultus respicit, negabit. Testimonia ipsa de terris ad orientem spectantibus docent Antiochiae Syriae saec. I p. Chr. et Betheliae saec. V templa, Eresi saec. I et Sillyi saec. II sacerdotia πάντων θεῶν fuisse. De terris ad occasum solis vergentibus hoc constat: Romae, in capite imperii Romani, initio principatus, Athenis saeculo II Panthea exstructa sunt, alia templa saeculo II erant Corinthi, Orneis, Marii. Neapoli saec. I mensis Πανθεών in usu erat. In Hispania quoque sacra πάντων θεῶν floruisse templum Aldeae privatim exstructum probat. Quibus testimoniis si addimus gravissimum illum Menandri, scriptoris saeculi p. Chr. n. tertii, locum: πλεῖστα ἱερὰ ᾠκοδόμησαν (sc. veteres) ἢ πάντων θεῶν ἢ πολλὰ ἑκάστου (95, 32) et illud Festi de 'die pandiculari' testimonium (95, 33), iam dubitare non possumus, quin aetate imperatorum per totum fere imperium Romanum sacra πάντων θεῶν publica floruerint.

c) Ubi quandoque πάντων θεῶν sacra publica institui coepta sint.

Antiquissima πάντων θεῶν sacra publica adhuc cognita floruisse vidimus saeculo ante Christum natum tertio in terris orientis, cum quae adhuc cognita sunt Graeciae, Magnae Graeciae, Italiae sacra testimoniis ipsis addicantur aetati imperatorum. Atque etsi in his quoque terris hic illic iam aetate priore sacra πάντων θεῶν fuisse non negem, ut iam dixi, attamen ex eo, quod Pantheum Romanum initio aetatis imperatoriae, Pantheum vero Atheniense saeculo p. Chr. n. altero exstructum est, iure concludere mihi videor prima πάντων θεῶν sacra non in Graecia, sed in iis ipsis finibus instituta esse, ad quos antiquissima testimonia pertinent. Quaerendum est igitur, quando in his terris haec sacra institui coepta sint.

In oppido Priene anno 297 a. Chr. n., in oppido incerto societatis Ionicae, cuius particeps Priene quoque erat, inter annos 266—261, Ilii anno 281 omnibus dis sollemnes preces sacrificiaque fiunt, quibus peculiaria πάντων θεῶν sacra publica probantur. Certo scimus ea floruisse haud ita multo post: Ilii saeculo III medio fere, Mytilenis fortasse iam priore eiusdem saeculi parte, Alexandriae anno 246, Antiochiae ad Maeandrum, Laodiceae(?), Antiochiae Persidis inter annos 206—202. Pantheum Antiochiae Syriae saeculo a. Chr. primo medio iam ruinosum erat.

Plurimum ad hanc quaestionem interest Antiochiae ad Maeandrum, fortasse Laodiceae, Antiochiae Persidis sacra *πάντων θεῶν* iam eodem floruisse saeculo, quo ab Antiocho Sotere condita sunt (281—266). Hinc enim verisimile fit in his oppidis instituta esse sacra *πάντων θεῶν* eodem, quo ipsa condita sunt, tempore. Ilii autem et Prienes, antiquis in oppidis, cum haec sacra iam ante oppida ab Antiocho aedificata floruisse videantur, etiam Antiochiae Syriae, quam urbem Seleucus Nicator anno 311, atque Alexandriae, quam Alexander Magnus anno 332/1 condidit, vel potius in omnibus oppidis ab Alexandro et Seleuco conditis aut eo ipso tempore, quo condita sunt, aut paulo post sacra *πάντων θεῶν* instituta esse conicere liceat. Atque verisimillimum esse existimo sacra *πάντων θεῶν* publica in illis oppidis novis primis effloruisse. Quae res etsi certo adhuc diiudicari non potest, at horum instituendorum sacrorum causae, de quibus iam disseremus, id tamen probabunt tempora, quae Asiam Aegyptumque ab Alexandro expugnatas secuta sunt, aptissima fuisse, quibus peculiaria *πάντων θεῶν* sacra instituerentur.

d) Quibus de causis *πάντων θεῶν* sacra publica instituta sint et quod momentum ipsa habuerint ad res sacras atque publicas.

Quoniam antiquissima *πάντων θεῶν* sacra publica pertinent ad nova et vetera oppida terrarum ab Alexandro Magno expugnatarum, primum, in his terris quapropter instituta sint, inquirendum est. Id ut appareat, res sacras regni Alexandri regnorumque successorum eius atque quod de sacrorum *πάντων θεῶν* in his terris proprietate nonnulla testimonia doceant, sub aspectum oculorum ponemus.

Asia Aegyptoque expugnatis necesse erat Graecos atque barbaros et deos Graecorum atque barbarorum artius inter se iungi quantumque fieri potuit, in unum confundi. Quodsi cum in veteribus oppidis tum in novis, quae ad illam hominum deorumque permixtionem celerius efficiendam Alexander et post eum imprimis Seleucidae condiderant, publica sacra templaque *πάντων θεῶν* comparent, dubium esse non potest, quin *πάντες θεοί* intellegendi sint cuncti dei Graeci barbarique in singulis oppidis vel potius toto regno cultorum,

quoniam omnia oppida eadem fere numina venerabantur. Quam opinionem etiam nonnulla testimonia firmant. Antiochus, rex Commagenes, stirpem gentis suae et a Dareo et ab Alexandro Magno ducens deorum universitatem, cui initio regni Commagenam domicilium commune tribuit, intellegit *ἅπαντας θεοὺς ἐκ Περσίδος τε καὶ Μακέτιδος γῆς Κομμαγηνῆς τε ἑστίας*. A quo rege quomodo di Graeci barbarique in unum confusi sint, et nomina et statuae deorum in culmine Tauri collocatorum docent. In pompa Antiochensi signa circumlata sunt *πάντων τῶν παρ' ἀνθρώποις λεγομένων ἢ νομιζομένων θεῶν ἢ δαιμόνων*. Idem constat de pompa Alexandrina. Deorum autem universitati in regnis reges eorumque maiores consecrati adnumerandi sunt. Atque ut sacra regum primo in oppidis a semet ipsis conditis, mox in omnibus oppidis auctoritatem ceterorum sacrorum superaverunt, ita signa regum et deorum gentis regiae in Pantheis inter omnia deorum signa locum tenuerunt medium (vide supra p. 99).

Haec igitur *πάντων θεῶν* sacra primum quidem omnes unius eiusdemque oppidi cives et Graecos et barbaros artius inter se coniunxerunt. Tum ea vinculum commune omnium eiusdem regni oppidorum effecerunt, id quod illa quoque sacrificia precesque ab Antiochensibus Persidis et Laodicenis pro Magnetibus facta illustrant. Postremo etiam cum domo regia oppida regni his sacris artius copulata sunt. Cuius rei optima testimonia sacrificia precesque sunt, quae et Ilienses identidem et legati societatis Ionicae dis omnibus pro rege, domo regia, regno servando et amplificando faciunt, ut fidem suam sollemniter probent. Ex quibus omnibus apparet sacra *πάντων θεῶν* publica pariter ac sacra regum ad unitatem illorum regnorum augendam magnum momentum fecisse.[1]) Atque hinc rursus facile intellegimus, quapropter in his finibus sacra *πάντων θεῶν* instituta tantaque auctoritate usa sint.

Iam quaeritur, quibus de causis in oppidis, quae illorum regnorum non erant, haec sacra instituta sint. Constat res sacras terrarum ad occasum solis spectantium, cum permulta numina barbarorum undique invasissent, mox simillimas fuisse rebus sacris Asiae Aegyptique, praeter quod sacra principum

[1]) Cf. Wilamowitz, *Staat und Gesellschaft der Griechen*, p. 152.

consecratorum usque ad aetatem imperatorum plerumque deerant. Notio igitur universitatis deorum etiam in his finibus universos deos Graecos et barbaros comprehendit. Colebantur quidem di barbari primo maxime ab hominibus privatis et sodalitatibus, cum oppida ipsa iis peculiaria sacra publica instituere diu cunctarentur. Sed cum omnium civitatum his temporibus multum videatur interfuisse ipsorum *εὐσέβειαν πρὸς πάντας τοὺς θεούς* ostendere[1]), facile potuit consilium capi ad exemplum oppidorum Asiae communia *πάντων θεῶν* sacra instituere atque Panthea exstruere, cum praesertim in formulis precationis publice usitatis *πάντας θεούς* iam diu vulgo invocatos esse vidimus. Oppida parva vero ad *πάντων θεῶν* templa aedificanda eo facilius adduci poterant, quod multa singulorum deorum templa exstruere omnino non poterant. Hinc nescio an explicari possit a Pausania in oppidulo Mario praeter Pantheum nullum templum, Orneis praeter Pantheum unum Dianae commemorari, contra Athenis, ubi plurimorum, quin etiam 'ignotorum' numinum sacra peculiaria floruisse constat,[2]) templum omnium deorum ante saeculum p. Chr. n. II, ut quidem videtur, non fuisse. Ceterum nihil impedit, quin credamus Athenis multo ante hoc templum iam aram *πάντων θεῶν* publicam fuisse.

Sacra *πάντων θεῶν* Romana anno 27 a. Chr. ab Agrippa exemplum regnorum pristinorum orientis imitante ad divinitatem novi principis illustrandam instituta esse iam supra exposui. In Pantheis finium orientalium signis deae Romae et Divi Julii Caesaris et Augusti iam antea locum insignem tributum esse opinari licet. Utique dubium esse non potest, quin per totam aetatem imperatoriam signa imperatorum atque Divorum in omnibus totius imperii Pantheis loco prominenti steterint. Ac *πάντας θεούς* magis magisque ab omnibus nationibus cunctos deos cuncti imperii vel totius orbis terrarum intellectos esse optime illustrat ara illa originis incertae titulum prae se ferens: *Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης, θεοῖς ἀγνώστοις καὶ ξένοις.* Coniunxerunt igitur sacra *πάντων θεῶν* hac aetate omnes nationes eorumque cultus

[1]) Collitz-Bechtel 5181 v. 48 *ὅπως φανερὰ ᾖι πᾶσι τοῖς Ἕλλησι ἡ τῶν Ἀμφικτυόνων εὐσέβεια πρὸς πάντας τοὺς θεούς.* Cf. supra 100 nota 1.

[2]) Cf. Philostr. vit. Apoll. VI 3, 5 (supra p. 54).

et inter se et cum eo imperatore consecrato, qui quoque tempore tenebat summam imperii, atque ut auxerunt, ita simul ostenderunt unitatem omnium terrarum omniumque religionum.

III. De *πάντων θεῶν* veneratione intra sacra deorum singulorum.

Inde a saeculo a. Chr. n. V medio fere prope certorum deorum templa aut in templis ipsis donaria cum titulis *θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις, . . . καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς, . . . καὶ θεοῖς πᾶσιν* hic illic posita esse vidimus.[1])

A saeculo a. Chr. n. II ineunte fere, quantum video, in titulis ararum hic illic *θεοὶ πάντες καὶ πᾶσαι, οἱ ἄλλοι θεοί* comparent ut *σύμβωμοι* deorum certorum.[2])

Ab initio fere aetatis imperatoriae, saepius a saeculo p. Chr. n. II in delubris certorum deorum inveniuntur arae *πάντων θεῶν*. Olympiae enim ad templum Iovis et Lycosurae ad delubrum *Δεσποίνης* aras huiusmodi Pausanias vidit; Epidauri in Asclepieo quattuor vero arae repertae sunt, quarum una saeculi I aut ante aut p. Chr. n. esse videtur, alia anno 166 p. Chr. n., tertia et quarta, in quibus *πάντες θεοί* cum Iove et Sole consociati sunt, anno 297 p. Chr. n. positae sunt; Pergami in area delubri Cereris tres arae saeculi II fere effossae sunt, quarum una titulum *τῷ Πανθείῳ* prae se fert; Mileti denique in templo Apollinis Didymei aetate posteriore aram *πάντων θεῶν* stetisse pro certo haberi potest.

Omnes arae ad templa pertinent, quorum ara princeps circumdata erat magno numero ararum diversissimorum deorum.[3]) Permultum ad hanc quaestionem illud interest, quod de ara Lycosurae Pausanias dicit eam fuisse extremam omnium. Apparet hanc *πάντων θεῶν* aram ut loco ultimam ita aetate postremam fuisse. Quae res optime illustrat rationem omnium

[1]) Vide p. 6, 2. 4. 6; 35, 7; 43, 33.

[2]) Vide p. 50, 5, ubi *π. θ. σύμβωμοι* deorum Aegyptiorum et 50, 6, ubi *οἱ ἄλλοι θεοί* regis Ptolemaei *σύμβωμοι*.

[3]) Vide supra p. 97, 8—13. Antiquissimum exemplum deorum *ἐντεμενίων* illae sex arae Olympicae esse videntur binis dis dedicatae (Schol. Pind. Ol. V 10, Apollod. II 7, 2), de quibus cf. Maurer, De aris Graecorum pluribus deis in commune positis, Dissert. Argentor. 1885 p. 6 ss. Vocem *ἐντεμένιοι* praebet titulus Milesius s. IV aut s. III ante Chr. supra 49 nota 1.

huius generis templorum; neque enim fieri potuit, quin studium quam plurimos deos intra unum idemque templum colendi postremo dirigeret ad proprias aras *πάντων θεῶν*. Hoc studium autem aetate imperatorum non rarum fuisse praeter testimonia allata etiam vox illa *πάνθεος περιβωμισμός* [1]) satis probat.

Certis diebus in omnibus aris deorum *ἐντεμενίων* sacrificatum esse et ex eo, quod de sacrificiis Olympicis Pausanias tradit, et e numeris aris Epidauricis insculptis elucet.

Sed in aris sacrificiisque huius generis veteres non acquieverunt: intra mysteria etiam dies festos *πάντων θεῶν* agebant, ut *πάνθειος τελετή* hymnorum Orphicorum docet,[2]) quin sacerdotia *πάντων θεῶν* instituebant, ut duo tituli Romae inventi[3]) ostendunt. Qui proximus mos quam late patuerit, etsi ex perpaucis quae adhuc extant testimoniis conicere non audeo, id tamen dici potest studium universos deos colendi aetate imperatorum cum in aliis deorum specialium sacris tum in mysteriis gravissimis permagnum fuisse.

IV. De universa *πάντων θεῶν* veneratione.

Πάντων θεῶν veneratione aetatis carminum Homericorum, civitatum liberarum, post Alexandrum Magnum ex ordine tractata ad extremum de universa *πάντων θεῶν* apud veteres veneratione summatim disputandum est.

Per totum ab Homero usque ad antiquitatem exeuntem temporis spatium cum *πάντες θεοί* sive consociati cum certis numinibus sive soli invocati cultique sint, venerationem *πάντων θεῶν* religionis Graecorum propriam fuisse statuendum est. At neque notio *πάντων θεῶν* neque veneratio eorum omnibus temporibus eadem erat.

Notio enim *πάντων θεῶν* apud Homerum comprehendit omnes deos Olympios, aetate liberarum civitatum universos deos, quos quaeque civitas colebatur,[4]) vel quoniam omnes civitates magis magisque eadem fere numina colebant, universos deos Graecorum, ab Alexandri Magni vero aetate primo in terris

[1]) p. 49, 2.
[2]) p. 73.
[3]) p. 94.
[4]) Cf. p. 17 nr 11a; 19 nr 4; 21 nr 16; 31 nr 1.

ad orientem spectantibus, postremo in omnibus terris cunctos deos cuncti orbis terrarum vel potius, quoniam dis quoque zodiaci et planetarum aliisque sideribus, quibuscum antiquiores di deaeque confundebantur, sacra fiebant,[1]) universos deos mundi universi.

In veneratione autem *πάντων θεῶν* tempora Homerica discernenda sunt a ceteris; nam qui illa aetate saepissime colebantur *πάντες θεοί* non erant universi dei, sed omnium summi tantum, quos quidem nomine omnium cultos esse iam supra diximus. Posteriore quoque aetate invocatio deorum Olympiorum, quorum numerus interim valde scilicet aucta erat, hic illic comparet pro invocatione universorum deorum.[2]) Nomine omnium deorum etiam *δώδεκα θεοί* saepe culti esse videntur.

In progrediente universorum deorum ipsorum veneratione quattuor tamquam gradus statui posse existimaverim.

Optimis liberarum civitatum temporibus universitas deorum neque publice neque privatim imploratur aut colitur aut donatur nisi in rebus adversissimis. Sacra *τῶν θεῶν τῶν Ἑλλήνων* Naucratensia, si re vera fuerint, singularia esse iam supra dixi (p. 14).

A fine saeculi V in precationibus et in iureiurando post certos deos adhuc solos invocatos di deaeque omnes adiciuntur. Etiam in sacris ad aram publicam factis cum Vesta ceteri dei consociantur. In vita cotidiana quoque, imprimis in iureiurando, *πάντες θεοί* saepe implorantur. In usu est nomen Pantheae.

Ab aetate Alexandri Magni arae, templa, sacerdotia, menses i. e. sacra *πάντων θεῶν* publica iuxta sacra deorum singulorum comparent. Dedicationes vulgares sunt. In pompis a regibus ductis ingens agmen numinum nationum omnium in conspectu spectantium ponitur. Intra singulorum deorum sacra numerus deorum *συννάων, συμβώμων* imprimisque *ἐντεμενίων* crescit. Collocantur in delubris singulorum deorum donaria aut his ipsis dis omnibusque aut omnibus dis solis dedicata.

Ab initio fere aetatis imperatorum in delubris singulorum deorum imprimisque mystice cultorum arae *πάντων θεῶν* inveniuntur, postremo intra mysteria etiam dies festi et sacerdotia *πάντων θεῶν* instituuntur.

[1]) Cf. Maass, *Tagesgötter*.
[2]) Cf. p. 9, 2. 11; p. 10, 12; p. 17, 1.

Duplici igitur via a fine saeculi a. Chr. n. V progressa veneratio *πάντων θεῶν* duo tamquam culmina ascendit, alterum, cum iuxta, alterum, cum intra sacra deorum singulorum sacra *πάντων θεῶν* instituta sunt; floruit utroque modo usque ad finem totius veterum religionis.

Causas illius continuo auctae venerationis *πάντων θεῶν* paucis iterum complectamur.

Primum ratione philosophorum sophistarumque, funesto imprimis bello Peloponnesiaco, sacris peregrinis paulatim invadentibus religio patria ita labefactata fiduciaque potentiae et auxilii singulorum deorum certis in rebus adhuc imploratorum ita diminuta est, ut eorum solorum invocatio multis diutius non sufficeret.

Tum vero Asia Aegyptoque ab Alexandro expugnatis et inaudita permixtione atque confusione deorum originis diversissimae secuta homines et publicam et privatam salutem a tam ingenti atque etiam magis magisque crescenti deorum multitudine pendere sentiebant, ut neque scire saepe possent, cui deo aut quibus in variis vitae rebus preces et sacrificia facienda essent, neque omnino singulos deos omnes separatim colere possent. Quare necesse fere erat id singulis sive civitatibus sive sodalitatibus sive hominibus privatis videri optimum praeter deos patrios aliosque, quos quisque maxime propitios sibi putabat, communiter colere omnes. Sic nemo habebat, quod timeret, ne quem deorum sive notorum sive ignotorum neglegeret iratumque sibi faceret.

Ad publica denique sacra *πάντων θεῶν* instituenda etiam id maximi momenti fuit, quod ea ipsa aptissima erant ad unitatem regnorum orientalium augendam.

Restat, ut statuere conemur, qui locus *πάντων θεῶν* venerationi tantopere progressae attribuendus sit intra totam religionis veterum progressionem.

Veneratio omnium deorum, ut religionem civitatum liberarum manifestat labefactatam, cum honorem minuerit deorum singulorum, ita hominum cognitiones naturae deorum duplici modo indicat progressas. Primum enim haec religio demonstrat Graecos, quos constat aetate liberarum civitatum credidisse singulas nationes suos proprios habere deos deasque, ex quo tempore coeperant una cum suis dis numina aliarum diversissimarumque nationum communiter colere, intellexisse numina esse

non posse nisi omnium gentium communia omniaque, quae essent, unum totumque quiddam esse. Tum eadem videtur effecisse, ut in his quoque deorum cognitionibus Graeci non consisterent. Nam ex quo *πάντων θεῶν* notio ingentem infinitumque comprehendit numerum deorum, quorum multi etiam eadem vel simili natura erant, necesse fere erat homines, quotiescumque universitatem deorum invocabant et colebant aut multitudinem deorum in Pantheo positorum conspiciebant, non tam proprietates singulorum deorum quam communem omnium naturam divinam sentire, id quod haud scio an dilucidius eluceat e vocabulo *τὸ Πάνθειον* primum ab Aristotele ad eandem naturam divinam universitatis stellarum errantium fixarumque designandam,[1]) postremis vero antiquitatis saeculis in sacris ipsis hic illic usurpato.[2]) Licet igitur opinari homines magis magisque, si non perspicue cognoverint, ut iam diu philosophi, obscure tamen sensisse singulos deos nihil aliud esse nisi virtutes vel tamquam membra numinis unius.[3])

Pars IV.

Πάντες θεοί — Πάνθεος.

Re vera religionem quoque veterum ad notionem unius dei ceteros omnes complectentis progressam esse tria scriptorum testimonia et triginta quinque adhuc tituli demonstrant per totum imperium Romanum, imprimis in Italia et Hispania reperti, qui prae se ferunt aut vocabulum *Πάνθεος* (*ειος*), *Πάνθεα*, Pantheus, Panthea designans cum certorum deorum et dearum cognomen tum, ut multi quidem volunt, nomen novi dei Panthei aut vocem 'signum Pantheum' vel 'signum Panthei'.[4]) Idem

[1]) Supra p. 13, 20. [2]) Supra p. 48 sub f; p. 65, 9.

[3]) Cf. Dio Chrys. '*Ροδιακός* v. 31, 11 p. 570 R. *πολλοὶ δὲ καὶ ἁπλῶς τοὺς θεοὺς πάντας εἰς μίαν τινὰ ἰσχὺν καὶ δύναμιν συνάγουσιν.*

[4]) 1) Corp. gloss. lat. V 318, 38 „Pantheus, deus qui omnes habet in se significationes quasi omnium deus". Tituli Asiae: 2) CIL III suppl. 1 nr 7058 Pisidiae: Pantheo aedem et aram. 3) BCH XI (1887) p. 64 nr 39 Apae (Isauriae) s. I/II p. *ἱερεὺς Διονύσου καὶ Πανθέου.* 4) BCH I p. 293 nr 84 = Le Bas-W., Asie Mineure II 166 c. Ephesi s. I/II p. *Ἀρτέμιδι Ἐπηκόῳ ὁ δ. σὺν τῷ δ. τὴν Νείκην σὺ[ν] τῷ Πανθείῳ* i. e. statuam Victoriae et statuam Panthei

demonstratur multo maiore numero signorum Pantheorum servatorum, quorum altera pars signa sunt certorum deorum aut

(σν . . . θειω Le Bas, τὴν τω Cyriacus Ancon.); Graeciae 5/6) IG IV 1037. 38 Epidauri in Asclepieo s. II/III arae *Πανθείῳ*; Italiae 7) Auson. epigr. 48 s. (s. IV p.) „Mixobarbaron Liberi patris signo marmoreo in villa nostra omnium deorum argumenta habenti: Ogygia me Bacchum vocat | Osirin Aegyptos putat | Mysi Phanacem nominant | Dionyson Indi existimant | Romana sacra Liberum | Arabica gens Adoneum | Lucaniacus Pantheum; 8) CIL IX 3145 Corfinii 'Libero Pantheo'; 9) XIV 2865 Praeneste ‚Fortunae Primig[eniae] signum Liberis (sic) pa[tris] Panthei cum suis parergis'; 10) CIL X 1557 Puteolis '. . . post adsignationem aedis Fortunae signum Pantheum'; 11) X 5800 Aletrii, ara parva 'Fortunae Pantheae'; 12—18) Romae: 12) Cass. Dio 59, 11 Livia Drusilla, Caligulae sorore, mortua (c. 38 p. Chr.) *ἐψηφίσθη . . ἵνα ἀθάνατισθῇ . . . καὶ ἐς τὸ ἐν τῇ ἀγορᾷ Ἀφροδίσιον ἄγαλμα αὐτῆς ἰσομέτρητον τῷ τῆς θεοῦ . . . ἱερωθῇ . . .· τότε οὖν Πάνθεά τε ὠνομάζετο καὶ τιμῶν δαιμονίων ἐν πάσαις ταῖς πόλεσιν ἠξιοῦτο·* 13) CIL VI 30867 'basim posuit deae Florae Fortunae Panthea[e]; 14) VI 695 Tab. marm. 'Sancto Silvano Pantheo'; 15) VI 557 Ara 'Pantheo sacrum'; 16) VI 558 = 30793 a. Arula 'Pantheo sacru(m); 17) VI 559 Ara, inter a. 138—161 p. '[Pa]ntheo Aug. sacrum'; 18) VI 100 Basis in hortis Iustinianeis ad portam Flam. reperta, a. 157 p. 'Dis deabusque . . . signum aereum Pantheum'; 19) XI 360 Arimini, tab. marm. 'Pantheum sacrum' (haud dubie Pantheo); 20—24 Galliae Cisalp.: 20) V 5798 Mediolani 'Deo Magno Pantheo'; 21) CIL V 2, 632*. „Castilione prope Mediolanum in templi fornice antiquo, marmoreo quadro Pighius a Studioso quodam accepit". Deest nomen dedicantis; falsus esse titulus videtur. 'Herculi Mercurio et Silvano sacrum et Divo Pantheo ex v.'; 22) CIL V 5523 Sextocalendis in agro Mediolanensi: 'Divo Panteo'; 23) V 5099 Calepii, ara s. I/II p. 'Pantheo Iuventi' (*Pantheus unter den Hausgöttern des Iuventius*, Peter); 24) V 3279 Veronae. '[P]anth[eo] Aug. sacr.'; 25—28 Africae: 25) VIII 9018 = Buecheler, Carm. epigr. nr 253 Auziae (Mauret.) a. 246 p. Chr. '[Pan]thea cornigeri sacris adiuncta Tonantis, | [Q]uae Libycis Maurisque simul venerabilis oris | etc. = Virgo Caelestis = Tanit, summa dea Poenorum, quam deam in templo Auziae medium locum inter 'Iovem Hammonem' et 'Ditem' tenuisse carmen docet. Cf. CIL VII 759 = Buecheler nr 24. 26) *Revue archéol.* XXXV 515 nr 22 Gillitani (Numid.) ‚Pantheo Augusto sacrum. D(ecuriones) G(illitani) f(ecerunt)'; 27) Ephem. epigr. V 334 Aphrodisii (Prov. Procons.) 'Panthe[o Aug. et] | Concor[diae sacrum]'; 28) Ephem. epigr. VII 162 = *Gazette archéol.* XII 31 et 61 Carthagine. Ara parva. *'Διὶ Ἡλίῳ Μεγάλῳ Πανθέῳ Σαράπιδι.* Cf. VIII 1005 Sarapidi deo Maximo; 29—35) Hispaniae: 29) CIL II 46. Pace Iuliae (Lusit.). 'Serapi Pantheo sacrum'; 30) II 2008 Nescaniae (Baet.), s. II med. p. 'Iovem Pantheum Aug. cum aede et tetrastylo solo privato'; 31) Ephem. epigr. VII 305 Italicae (Baet.), basis parva, inter a. 117—138 p. 'Silvano Pantheo'; 32) CIL II 1165 Hispale (Baet.). 'Pantheo Aug. sacrum'; 33) II 1473 Astigis (Baet.). Tabula marm. cum „litteris optimis saec. I p. Chr."

instructa aut circumdata symbolis multorum aliorum deorum, altera pars signa ex diversissimis symbolis coacervatis facta.[1]) Postremo huc pertinent multae mysticae precationes, oracula, carmina, quae in certa numina coacervant multorum aliorum deorum nomina.[2]) De deorum Pantheorum cultu in extrema hac commentatione quam brevissime disputare liceat, quoniam rationem aliquam huic cultui intercedere cum cultu *πάντων θεῶν* vel ex vocabulo *Πάνθεος* apparet.

De hac amborum sacrorum affinitate Usener,[3]) quem multi alii secuti sunt, sic iudicavit: *Die Vorstellung „aller Götter" verdichtet sich zum „Allgott" Πάνθεος· . . . Seit der augusteischen Zeit steht dieser Begriff fest; . . . in der ganzen Welt sehen wir ihn verehrt, bald alten Göttern des Kultus, die durch diesen Zusatz zur Allgottheit erweitert werden, beigeordnet* (sic!), *häufiger noch für sich.*

Dupliciter virum doctissimum erravisse puto. Nam primum mihi quidem minime videtur probabile fieri potuisse, ut ullus deus cogitatione sola ortus (Usener ipse deum Pantheum dicit

'. . . signum Panthei testamento fieri ponique . . . iussit.'; 34) II 3030 Compluti (Tarrac.) '[P]an[t]he[o] Aug. sacrum; 35) II 4055 Dertosae (Tarrac.), inter a. 138—161. 'Pan(th)eo Tutelae ob legationes . . . prospere gestas'; 36) Britanniae VII 1038 Bremenii, s. II/III p. Chr. '[S]ilvano [P]antheo'; 37) Pannoniae III suppl. I 10394 Aquinci. 'Bonae Deae et Panthaeo, Diane, Silvanabus'; 38) Daciae III 1139. Apuli, a. 235 p. Chr. 'Priepo Pantheo'.

[1]) Plus octoginta signa panthea vel polythea, quibus addendae sunt triginta fere panthea ad Sabazium spectantia collegi, quae hic describi spatium vetat. Vide O. Jahn, *Aberglaube des bösen Blicks, Berichte der sächs. Gesellschaft d. Wissensch.* VII b (1855) p. 50 ss.; H. Usener, *Götternamen* p. 344 ss.; Wissowa, *Relig. u. Kultus der Römer*[2] p. 91 ss. — R. Peter, Roscher, *Mytholog. Lex.*, Pantheus; Cumont, Daremberg-Saglio, *Dictionaire*, Panthea signa; H. Graillot, *Revue archéol.* XXXVII 220 ss. Weisshäupl, *Jahreshefte des arch.-österr. Inst.* XIII 1910, 176 ss. — Signa antiquissima habes: *Recueil gén. des monnaies d'Asie Mineure I* (1904), 11 nr. 4 (Pl. I fig. 7. 8. 9): In nummo Pharnacis I (185—169 a. Chr.) Mithras aut Men cum symbolis Mercurii, Fortunae, Dionysi, Iovis. Babelon, *Monn. de la républ. Rom.* I 164 nr 19: In nummo M. Antonii anno 43 aut 38 cuso: Genius Orientis? Dionysos? Dionysum incolae Asiae Antonium appellaverunt post vict. Philipp.; Piot, *Monuments* V 39. 177 ss., tab. 1: In patera argentea protoma deae (Africae, Alexandriae [?]) multis symbolis ornata, Alexandriae ficta postremis a. Chr. n. saeculis (Ad. Michaelis). Helbig, *Wandgemälde* nr 78: Isis.

[2]) Vide Lobeck, Aglaophamus I 460 ss. [3]) l. c. (vide not. 1)

eine durchsichtige Schöpfung der Reflexion) per tot terras atque saecula cultores assequeretur. E religione igitur πάντων θεῶν hunc novum deum tamquam emanavisse nego. Tum vero novum deum, cui nomen erat Pantheus, a veteribus omnino cultum esse item nego. Weishäuplio potius assentiendum esse puto, qui caute quidem, sed sine dubio recte mihi videtur iudicavisse titulos scriptorumque testimonia, quibus commemorarentur Pantheus, Divus Pantheus, Deus Magnus Pantheus, Pantheus Augustus aut signum Pantheum, non ad unum eundemquem deum, cui nomen Pantheus esset, nedum ad universitatem deorum solam spectare, sed pariter ac signa servata, etiamsi ex symbolis solis facta essent, ad certos deos diu cultos, quibus hoc nomine natura attribueretur omnia complectens. Vera enim illorum deorum Pantheorum nomina propria ex compluribus testimoniis certo cognosci, ex aliis cum probabilitate conici possunt.[1]) Ceterum si idem deus Pantheus in

[1]) Haec quattuor exempla Weishäuplius affert: nr 7. 25. 10. 3. Deum tituli 7, quem 'Lucaniacus' existimabat 'Pantheum', cuius signum pantheum in villa Ausonii erat, Liberum patrem fuisse poeta ipse dicit. Deam, quae in titulo 25 inter duos deos comparet et Panthea appellatur, Caelestem esse iam Buecheler vidit. 'Signum Pantheum' nr 10, quod in templum Fortunae dedicatur, Weishäupl iure aut ad Liberum patrem refert propter nr 8 aut ad Fortunam ipsam, quam deam praefero. *Πάνθεον*, cuius sacerdotem tit. 3 praebet, ad certum deum spectare W. ex nomine Dionysi colligit, equidem opinor Iovem Sabazium, qui *Φρυγίης μεδέων* et pater Dionysi dicitur hymn. Orph. 58 (cf. 59). De eodem deo fortasse agitur in tit. 2. Etiam in titulo 4 una cum Victoria deus cum Iove confusus desideratur. Drusillae consecratae nomen Pantheae datur ut novae Veneri (nr 12); apparet Venerem iam antea idem cognomen habuisse. Panthaeus tituli 37, cum inter Bonam Deam, Dianam, Silvanabus compareat, certo habendus est summus deus Illyriorum cum Silvano vulgo confusus. Ad Silvanum, qui Pantheus cognominatur in titulis 14 (Romae), 31 (Hisp.), 36 (Brit.), refero titulos Romanos 15—19 et Hispanicos 32—34 propter nomina ordinemque dedicantium, quos omnes praeter 18 libertinos existimo, cum patris nomen non addant: 14 M. Fulvius Erastus, 15 C. Hosidius Marcianus, 16 C. Iunius Nicostratus 17 G. Iulius Saturninus proc. Aug.; 19 L. Vicrius Cypaerus sexvir Aug.; 31 Autarces Sabinae Aug. lib. (Silvano P.); 32 lib. sexvir; 33 sexviralis; 34 libertus sexvir; 36 Eutychus (Silv. P.). Silvanus enim primarius servorum (36!) et libertinorum deus erat. Etiam multi tituli extant Silvano a sexviris dedicati. Praeterea Silvanus custos erat familiae Caesaris, cuius erant dedicatores tit. 31 et 17. Titulum 18 ab optione dedicatum Silvano attribuo, cum in colle hortorum videatur stetisse et propter tit. 37 a praefecto leg. dedicatum. Titulos 20—24 eidem deo ascribere liceat, cum

omnibus terris cultus esset, nonne mirum esset, quod inter tot signa panthea servata certa imago huius dei novi non conspicitur, sed omnia simulacra ad certos deos pertinent?

Tribuitur autem natura panthea testimoniis sive titulorum (a) sive signorum servatorum (b) sive precationum (c) his, quantum video, diversarum gentium dis deabusque:

I. Dis Graecorum et Romanorum: Iovi,[1]) Libero patri,[2]) Silvano,[3]) Fortunae,[4]) Veneri,[5]) praeterea Pani,[6]) Cupidini (?),[7]) Soli,[8]) Lunae,[9]) Hecatae;[10])

eiusdem regionis sint. In titulo 21, si falsus non sit, vix dubium est, quin Divus Pantheus interpretandus sit Liber pater, qui saepe cum Silvano et Hercule aut Mercurio consociatur (CIL VI 707: Soli Serapi Iovi Libero patri et Mercurio et Silvano sacrum). Liber pater in ceteris titulis idcirco quoque probabilis fit, cum omnes ad praedia pertinent ut signum villae Ausonii (Dedicatores: 20 Caesius Vitalio, 22 L. Cassius Ingenuus, 23 Herma et Philtate, 24 Q. Salvius Verecundus. Cf. 8 sig. Lib. patr. Panthei M. Popilius M. f. Trophimus et Popilia Chreste lib.). Ad Liberum i. est Dionysum nescio an arae quoque Epidauricae (5/6) pertineant, cum altera ara folio ornetur hederae et inter permultas Asclepiei aras adhuc ara Dionyso dedicata, quantum video, non reperta sit.

[1]) a) nr 30; b) Graillot l. c. p. 231 nr. 3 (?).

[2]) a) nrr 7—9. (20—24. 5. 6.); b) In nummo Antonii l. c. (?).

[3]) a) 14. 31. 36. (37. 15—19. 32—34); b) Daremberg-Saglio, *Dict.* sub v. *Silvain* fig. 5502.

[4]) a) 11. 13. (10); b) Montfaucon, *L'antiquité expliquée et représ. en fig.* I tab. 80 nr. 4, p. 16 tab. V 4; Graillot p. 224 nr. 2; E. Maass, *Tagesgötter* p. 239, ibid. fig.; Furtwängler, *Berl. Gemmen* 2898; Fortuna Isis: Weishäupl l. c. p. 186 fig. 4; Montfaucon I 221 nrr 2. 3; Babelon et Blanchet, *Catalogue des bronces ant. de la bibl. nat.* nr 643.

[5]) a) 12 Drusilla = nova Venus; b) Weishäupl fig. 108—111; Frédrich, *Ath. Mitt.* 22 p. 361 ss. tab. XI. XII (Venus Aphrodisiensium); Helbig, *Wandgemälde Camp.* p. 77 nr 295.

[6]) b) Baumann, *Die antik. Marmorskulpt. des Großherz. Antiqu. z. Karlsruhe, Festschr. z. 36. Phil.-Vers. 1882* p. 15 ss.; p. 18 not. 3; Toelken, *Berliner Gemmen Kl. III* 1113; Gerhard, *Lichtgottheiten* III 3; c) Orph. hym. XI.

[7]) b) *Bonner Jahrbücher* I (1842) p. 56 ss. tab. 3/4 fig. 1. 2.

[8]) b) Furtwängler, *Die antik. Gemmen* tab. 43 nr 56 (?), Montfaucon, I 105 tab. 53 nr 1 ('Apollon et Clatra' = Diana Luna); c) Euseb. Pr, III 15, 125 D; Mart. Cap. II 184 ss.; Iulian, orat. IV (cf. G. Mau, *Die Religionsphilosophie Kaiser Jul.*, Leipz. 1907 p. 121); *Anthol. Lat.* nr 389 Riese.

[9]) b) Montfaucon I 105 tab. 53 nr 1.

[10]) b) Gerhard, *Berlins antik. Bildwerke* p. 387 nr. 76 a; c) Wünsch, *Antikes Zaubergerät aus Pergamon* p. 13 (s. III p. Chr.); Hym. Orph. 1.

II. Dis Asiae: Sabazio,[1]) Mithrae(?),[2]) Saturno Mithraico[3]) (= Aioni), Meni,[4]) Attidi,[5]) Tyriorum deo Melkart cum Hercule confuso,[6]) Deae Syriae;[7])

III. Dis Aegyptiorum: Sarapidi,[8]) Isidi,[9]) Harpocrati,[10]) Anubidi;[11])

IV. Dis Carthaginiensium: Virgini Caelesti,[12]) summae deae;

V. Dis Gallorum: Deo summo cum Mercurio confuso;[13])

VI. Dis Illyriorum: Deo summo cum Silvano et Pane confuso;[14])

---

[1]) a) (2—4); b) Blinkenberg, *Archaelog. Studien* 1904 p. 66 ss.; p. 90 ss. tab. II (signa et manus votivae); *Bonner Jahrb.* XXIII 52 tab. 3; c) Macrob. Sat. I 18 (Iao).

[2]) b) In nummo Pharnacis l. c. (aut Men).

[3]) b) Roscher, Mithras II 2 sp. 3038 ss.

[4]) b) Daremberg-Sagl., Lunus fig. 4671; Roscher, Men II 2 sp. 2746; Montfaucon I 105 tab.

[5]) b) *Monum. dell' Inst.* IX (1869) tav. VIII a ('Numini Attis'); c) Hippol. Elenchos V 8/9 Wendland p. 99, IGS 1018 = Kaibel, Epigr. 824, 2.

[6]) c) Nonn. Dion. XL 367.

[7]) b) Montfauc. I 17 tab. V 2 (valde suspect.); c) Lucian, *περὶ τῆς Συρίης θεοῦ* c. 32.

[8]) a) 28. 29; b) Imhoof-Blumer, *Monnaies grecques* tab. I. 15 (Alexandriae anni 132/3 p. Chr.); *A catal. of engr. gems in the Brit. Mus.* p. 144 nr 1212; Graillot p. 231 nr 3; Weishäupl l. c. p. 184 nr 3; Cf. Roscher, Serapis sp. 379; c) Macrob. Sat. I 20, 17. Cf. not. 11.

[9]) b) Helbig, *Wandgemälde* 78; Weishäupl fig. 93. 96. 97; Montfauc. I 221 nr 5; Mamaea ut Isis Panthea: Eckhel, Doctrina num. VII p. 287 D.; Fortuna Isis sub 4; c) Apuleius, metam. XI 5.

[10]) b) Cyper, Harpocr.; Gerhard-Panofka, *Neapels antike Bildwerke* I p. 182; Babelon l. c. nr 655—59; Passerius, Lucernae fict. I tab. I 'Deo q[ui est] Maxim[us].

[11]) c) W. Peek, *Der Isishymnus von Andros u. verwandte Texte, Berlin, Weidmann* 1930, p. 139 *Der Anubishymnus von Kios* (Bithyniae) vs 1: *Οὐρανίων πάντων βασιλεῦ, χαῖρε, ἄφθιτ' Ἄνουβι.* Eodem in hymno qui hymnis Orphicis similis est, in unum confunduntur Osiris (pater Anubidis), Zeus, Ammon, Sarapis, atque naturam pantheam habet *πολυώνυμος* Isis, mater Anubidis.

[12]) a) nr 25; b) *Jahrb. d. Inst.* 1908 Anz. sp. 221 fig. 7; *Bulletin archéol. du comité d. trav. hist. et scient.* 1907 p. 359 ss. tab. XLII 1 (lucerna fictilis Thysdri reperta, s. I p.); Weishäupl l. c. fig. 100 (in lucerna dea galeata — Weish.: Isis); c) CIL VII 759, quo carmine in signo pantheo inscripto Iuliam Domnam celebrari ut novam Caelestem Domaszewski vidit, *Abhdl. z. röm. Relig.* p. 149.

[13]) b) Graillot l. c. p. 220 pl. XII. Babelon l. c. 363. [14]) a) 37.

VII. Dis Daciorum: Deo summo cum Priapo confuso;[1])

VIII. Feminis Augustis consecratis: Drusillae ut novae Veneri,[2]) Domnae ut novae Virgini Caelesti,[3]) Mamaeae ut novae Isidi.[4])

Omnes igitur fere deos, qui magna auctoritate utebantur, complures vero eorundem sacrorum[5]) viribus magis magisque extensis ad honorem deorum pantheorum pervenisse testimonia satis docent. Ac vim illam pantheam in sacris valde praedicatam esse dicendum est; quod ni ita fuisset, neque cognomen Panthei tam saepe in titulis solum compareret nomine proprio eius dei, ad quem quisque titulus spectat, omisso neque tot signa panthea servata essent eorundem deorum.

Quaerendum est, ex quo tempore dei panthei coli coepti sint, qua via haec religio orta sit, quando et quamdiu maxime floruerit.

Tempus multorum titulorum et plurimorum signorum non constat quidem, sed casui vix tribuendum est maiorem partem titulorum, quorum tempus definiri potest, saeculi p. Chr. n. II aut propter litteras saeculi I vel II esse. A fine igitur saeculi p. Chr. n. I fere studium deos venerandi pantheos maximum fuisse credam. Multo priore quidem aetate non raro deos pantheos cultos esse ex eo apparet, quod iam saeculi I p. Chr. nomen Panthei (nr 33 Hisp.) et Pantheae idque Augustae datum (12), praeterea signum pantheum Isidis Pompeianum, saeculorum vero a. Chr. n. proximorum tria signa panthea sunt,[6]) quorum duo quidem potius polythea sunt, tertium deam repraesentat caerimoniis vix cultam. Quando cognomen Panthei in usum sacrorum venerit et cui deo primo datum sit, etsi statui non potest, de ortu deorum pantheorum dubitari non potest. Qui dei non tam rationi philosophorum et poetarum debentur, quos constat iam multis saeculis ante naturam omnia complectentem dedisse Iovi,[7]) quam deorum Graecorum confusioni cum dis orientalibus, qui natura erant numina omnia comprehendentia i. e. eidem religionum mixturae, quae cultui

---

[1]) a) 38; b) Neigebauer, Dacien p. 227 nr 27; Babelon l. c. nr 501 (*Travail romain*); c) CIL XIV 3565 (suspect., Wissowa).

[2]) a) 12. [3]) nota 4 c. [4]) nota 2 b.

[5]) Dei Aegyptii et multa numina intra mysteria Orphica culta, ut hym. Orph. docent.

[6]) Vide supra p. 123 nota 1. [7]) Cf. Aeschyl. frag. 70 Nauck.

πάντων θεῶν tantum incrementum attulerat. Cui complurium deorum originis incertae confusioni reges quoque rei publicae causa pariter favebant [1]) atque venerationi omnium deorum. Ab hac complurium deorum in unum confusione venerationem deorum pantheorum initium cepisse manifestum est. Quam venerationem ad summum gradum ascendisse aliquanto post sacra πάντων θεῶν sponte intellegitur. Postremis autem antiquitatis saeculis quam arte ambo cultus inter se coniuncti fuerint, optime inde cognoscitur, quod in isdem templis ut in Asclepieo Epidaurico repertae sunt et arae θεοῖς πᾶσι dedicatae et ara Παντθείῳ consecrata, itemque ex eo, quod hymni Orphici et multos praebent deos natura panthea et τελετὴν πάνθειον i. e. πάντων θεῶν. Quae res mira non est; nam haud multum interesse inter venerationem universitatis deorum communem et venerationem eiusdem universitatis in certas personas collatae eadem symbola aris Epidauricis insculpta docent. Notionem Panthei quidem spectanti primo aspectu mirum est, quod dei cuiusdam, qui ceteros omnes complecti putabatur, ara aut signum una cum aliis in templo alterius dei ponebatur aut in titulis dedicatoriis nomen Panthei inter aliorum deorum nomina comparet. At singuli dei nihil erant nisi partes vel potius membra aut vires ut universitatis deorum ita eius dei, quem quisque habebat pro Pantheo. Re vera quidem haec res monstrat multos deos potuisse vires suas infinite augere, sed non potuisse ceterorum deorum venerationem tollere.

Nihilo minus ex eo, quod tot di deaeque facti sunt Panthei atque intra omnia fere sacra vis illa panthea sive unius sive plurium deorum maxime praedicata est, dilucidius quam ex veneratione πάντων θεῶν cognosci potest postrema antiquitatis saecula valde sensisse innumerabiles deos deasque referendos esse ad unum solum deum. Is quidem quid qualeque sit, dubium esse non potest. Neque deus est visu humano neque deus mente sola intellegendus, sed nihil est aliud atque universa natura ipsa vel potius vis divina in universa natura sita, est unus simul atque omnia, τὸ ἓν καὶ πᾶν: polytheismus ad extremum magis magisque exit in pantheismum.

[1]) Cf. quod de Sarapidis ortu et de Iside cum Cerere confusa disseruit Kaerstius l. c. p. 265 ss. et 272, praeterea supra p. 77 nr 15, ubi complures deos Persicos Graecos Commagenos confusos habes.

Index locorum.

numeri = paginae, a = ara, d = donarium, e = exsecratio, f = dies festus, i = iusiurandum, m = mensis, n = nomen Pantheae, p = precatio, s = sacrificium, sd = sacerdotium, t = templum, P = cognomen divinum Pantheus, Panthea, signum Pantheum, δ = δώδεκα θεοί.

Asiae, orae Ponti Euxini:

Aloanda (Lyc.) 26 e
Amasia (Pont.) 75 t(?), a
Antandrus (Aeol.) 36 d
Antiochia ad Maeandr. 61 t.
Antiochia ad Oront. 64 t, pompa.
Antiochia Persid. 63 t
Aphrodisias (Car.) 37 d
Arycanda (Car.) 37 d

Bethelia (Syr.) 65 t

Chersonesus (Taur.) 17 i
Cibyra (Car.) 26 e
Ciliciae tit. 27 e
Clazomenae 58 s
Cnidus 27 e 40 d
Commagenae tit. 27 e 76 t
Cyzicus 35 d
Cys (Car.) 38 d

Elaea (Mys.) 61 p, s 106 not 1 δ
Ephesus 121 nr. 4 P
Eriza (Phryg.) 38 d
Erythrae 36 d 60 s

Gjoelbachi (Lyc.) 25 e

Iasus (Car.) 37 d
Ilium 56 s, p, sd

Laodicea ad Lyc. 61 t
Lydiae tit. 27 e

Magnesia ad Maendr. 101 not 1, 101 not 2, 107 not 1 δ
Megiste (Lyc.) 38 d
Mesembria (orae P.) 35 d
Miletus 20 i 36 d 36 d 49 t
Milyadis tit. 26 e
Myra (Lyc.) 25 e

Neapolis (Scyth.) 34 d
Neoclaudiopolis (Galat) 18 i
Notium (Ion.) 49 a

Oenoanda (Car.) 26 e
Olbia (Sarm.) 35 d
Olympus (Lyc.) 98 n
Odessus (Moes. inf.) 35 d

Palmyra 78 t
Panamara (Car.) 37 d
Panticapaeum (Sarm.) 34 d
Paphlagoniae tit. 32 n
Pergamum 18 i 31. 32 n 36 d 48 a 66 m 67 t 73 f, hymnus
Phoenix (Car.) 37 d
Pinara (Lyc.) 26 e
Pisidiae tit. 121 nr. 2 P
Priene 36 d 59 s, f

Rhodiapolis (Lyc.) 26 e

Sanaus (Phryg.) 38 d

Sillyum (Pamph.) 65 sd
Smyrna 18 i 32 n

Telmessus (Lyc.) 25 e
Termessus (Pisid.) 27 e
Tomi 35 d

Aegypti, Africae:

Alexandria 39 d 79 pompa, t
Aphrodisium (Prov. proc.) 122 nr. 27 P
Apollinopolis (Sekket, Aeg.) 97 t
Auzia (Maur.) 122 nr. 25 P

Carthago 122 nr. 28 P

Gillitanum (Num.) 122 nr. 26 P

Talmi (Aeth.) 108 s
Taposiris 50 a

Insularum:

Aegialae (Amorg.) 82 t
Amathus (Cypr.) 81 t
Aptera (Cret.) 100 not 1
116 not 1

Ceos (Cycl.) 43 d
Cos 21 i 40 d 102 not 1 δ
Cypri tit. 38 d

Delus 43 d

Eresus (Lesb.) 66 sd

Gortyn (Cret.) 21 i

Hierapytna (Cret.) 21 i

Itanus (Cret.) 20 i
Ios (Cycl.) 82 p

Latus (Cret.) 21 i

Melos (Cycl.) 42 d
Mytilene (Lesb.) 65 m

Nisyros (Spor.) 41 d

Palaepolis (Corcyrae) 53 a
Parus 43 a
Praesus (Cret.) i 20

Rhodus 39 d 82 p

Saros (Spor.) 40 d
Sicinos (Cycl.) 42 d

Teutlussa ad Rhod. 40 d
Telos (Spor.) 40 d
Thasus 6 p
Thera 31 n 42 d 50 a 98 cava in rupe

Graeciae:

Athenae 6. 44 d 10 orac.
28 e 53 a 83 t
105 not 1 δ 108 nr. 3;
accedunt test. poet., script.
p. 7—13

Corope (Thess.) 19 i
Corinthus 83 t
Cyparissia (Mess.) 33 c

Delphi 29 e

Elatea (Phoc.) 19 i
Elidis et Pisat. in confinio 84 t
Epidaurus 50 a 122 nr. 5. 6 P

Halus (Phthiot.) 29 e

Larisa (Thess.) 32 e
Lycosura (Arcad.) 52 a

Macedoniae tit. 19 i
Mantinea (Arcad.) 44. 46 d
Marathon 29 e
Marium 83 t
Megalopolis (Arcad.) 44 d
Megara 97 δ
Messene 19 i 84 t
Methone (Thess.) 29 e
Misithra (Lac.) 32 n

Olympia 6. 46 d
52 a 84 t
Orchomenos (Arcad.) 18 i
Orneae (Arg.) 83 t

Pharsalus 44 d
Philippi 99 aediculae in rupe

Tegea (Arcad.) 44 d 108 s
Thessalonice 29 e

Siciliae:

Agrigentum 6 n

Halaesa 45 d
Halinuntium 45 d

Rhegium 45 d

Selinus 6 d
Syracusae 45 d

Italiae:

Aletrium (Lat.) 122 nr. 9 P
Ariminum (Umbr.) 122 nr. 19 P

Calepium (Gall. cisalp.) 122 nr. 23 P

Lucaniae tit. 122 nr. 7 P

Mediolanum 122 nrr. 20—22 P

Patavium 29 e
Praeneste (Lat.) 122 nr. 9 P
Puteoli (Camp.) 122 nr 10 P

Roma 33 n 89 pompa 90 t
94 sd 98 nr. 6 Capitolium

Verona 122 nr. 24 P

Hispaniae:

Aldea (Tarrac.) 94 t
Aritium (Lus.) 22 i
Astigi (Baet.) 122 nr. 23 P

Complutum (Tarrac.) 123 nr. 34 P

Dertosa (Tarrac.) 123 nr. 35 P

Hispal (Baet.) 122 nr. 31 P

Italica (Baet.) 122 nr. 30 P

Nescania (Baet.) 122 nr. 30 P

Pax Iulia (Lus.) 122 nr. 29 P

Daciae:

Apulum 123 nr. 38 P
Alburnus 31 p

Panoniae:

Aquincum 123 nr. 37 P

Germaniae:

Moguntiacum 98 nr. 5 columna

Britanniae:

Bremenium 123 nr. 36 P.

Corrigenda.

p. 6 nr. 3: ἀπηλπισμένην
p. 49 v. 3: l. l. = libros
p. 62 sub 'v. 7—8': referendas
p. 63 nr. 7 sub 'Ad v. 1': occurrisse
p. 72 not. 3 v. 4: in utrisque delendum
p. 78 v. 7: domicilium commune
p. 88 v. 19: Pantheum nominatum
p. 101 sub 'Tum rotunda': trium sacrorum . . ., sacrorum dico
p. 101 not. 3: bellum Dacicum
p. 106 not. 1: Perg. 246 v. 27
p. 107 B delendum
p. 114 sub d) v. 5: quid
p. 123 sub not. 1 v. 1: addenda
p. 125 sub not. v. 5: pertineant

Auctor de vita sua.

Natus sum Fridericus Guilelmus Jacobi a. d. XIV. kal. Decembr. a. 1885 in vico Eichsfeldiae, cui nomen est Rhumspringe, patre Theodoro, matre Amalia e gente Wedekind, quos ambos post vitam laboriosissimam mortuos esse lugeo, illum pergrandem natu, postquam per plus triginta annos vico patrio praefuit, a. 1922, hanc praemature primo belli magni anno. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis in vico patrio a Johanne Mecke † imbutus ab anno 1899 per tres annos scholam Latinam Duderstadiensem frequentavi, deinde per quinque annos gymnasium Iosephinum Hildesiense, quod tum Christiano Belte † rectore florebat. Vere anni 1907 testimonium maturitatis adeptus studiis philosophicis, theologicis, politicis, gymnasticis, imprimis autem philologicis historicis mythologicis operam dedi Friburgi per ter sex menses, Monachi per sex menses, Halis Saxonum ab anno 1909 usque ad annum 1912. Annis insequentibus studia mythologica privatim persecutus sum. Examen pro facultate docendi superavi mense Februario anni 1916.

Docuerunt me viri doctissimi Friburgenses: Aly, † de Below, Fabricius, Finke, Hense, Jolles, † Kluge, Michael, Pfeilschiffer, Reckendorf, † Schmalz, de Schulze-Gaevernitz, Thurneysen, † Uebinger; Monacenses: de Brentano, Drerup, Espenberger, Friedrich, Otto, † Pöhlmann, † Simonsfeld, Rehm, † Riehl, Weymann; Halenses: † Bechtel, Eisler, † Fries, Kern, Menzer, † Meumann, † Muff, † Nebert, † Niese, Praechter, † Robert, † de Stern, † Uphues, Wissowa. Ad exercitationes philologicas benigne me admiserunt Aly et Nebert, ad historicas Finke, Simon, Niese, de Stern, ad archaeologicas Robert, ad epigraphicas Kern, ad philosophicas Meumann, ad paedagogicas Fries. Seminarii philologici sodalis fui per bis sex menses regentibus Kern et Wissowa.

A mense Martio anni 1916 stipendia feci eodemque anno miles uxorem duxi artificem Elisabeth e gente Quickenstedt, quae mihi omnibus in rebus adversis ac secundis fortissima et fidelissima vitae socia et adiutrix fuit.

Tum magno bello confecto in seminario paedagogico gymnasii Duderstadiensis Iulio Iaeger † et Augusto Ernst moderantibus artem docendi didici, deinde per proximos annos in gymnasio Duderstadiensi, anno 1923/24 in senatus gymnasio, quod dicitur, Osnabrugensi discipulos litterarum elementa docui. Anni proximi otio non voluntario usus sum, ut de Graecorum religione studia ante bellum coepta redintegraverim atque hanc commentationem perfecerim. A mense Aprili anni 1925 Dingelstadii Eichsfeldiae in schola Latina a Casparo Rüffer recta pueros doceo munereque perfungor conrectoris.

Omnibus praeceptoribus meis, imprimis Ottoni Kern praeceptori meo carissimo, quo auctore et duce hanc commentationem scripsi, cuius cohortatio et consilium, qua est comitate et liberalitate, numquam mihi defuit cuiusque nomine ornatum hoc opusculum emittitur, praeterea Gerardo Herrlinger, qui una cum Ottone Kern in plagulis corrigendis me comiter adiuvit, gratiam habeo et habebo.

COLUMBIA UNIVERSITY

COLUMBIA UNIVERSITY
0032202890

885 J15
Jacobi

885 J15

OCT 1 9 1931

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES

This book is due on the date indicated below, or at the expiration of a definite period after the date of borrowing, as provided by the library rules or by special arrangement with the Librarian in charge.

DATE BORROWED	DATE DUE	DATE BORROWED	DATE DUE
	JAN 9 '48		

C28 (747) M100